



LIBELLI DE ECCLESIASTICA ET POLITICA POTESTATE.

ELENCHVS.

PRO SVPREMA ROMANI Pontificis in Ecclesiam authoritate.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. S. R. E. Cardinalem Dom. IACOBVM DAVY DV PERRON, *Senonum Archiepiscopum Galliarum & Germaniæ Primatem & magnum Franciæ Eleemosynarium*, &c.

Authore ANDREA DV VAL Doctore Sorbonico, & sacræ Theologiæ in Parisiensi Academiâ Regio Professore.



PARISIIS,
Apud FRANCISCVM IACQVIN, in vico Latomorum.

Anno M. DC. XII.

CVM APPROBATIONE DOCTORVM.

Sed cùm libri facies auctoris nomen non proderet, nec Typographi prælum, aut venditoris domum designaret, nulláque Theologorum approbatione liber esset obsignatus, sub specioso illo flore tituli grauioris pestilentem spuriæ cuiusdam doctrinæ auram contineri statim sum suspicatus: neque profectò iudicium fefellit euentus. Cum enim numeros libelli omnes, adhibito diligentiori examine sigillatim, ac intentè expendissem, eũ erroneis documentis, ne dicam hæreticis passim conspersum manifestè deprehendi. Quæ cum viderem non sine magno Ecclesiæ Catholicæ, & sanctæ sedis Apostolicæ damno & iniuriâ indies latiùs serpere, & ad euidentem animarum perniciem disseminari, è re Christianâ fore putaui, si ad hæc pessimarum opinionum monstra

debellanda, & ad tot errorum macu-las, priusquam altiùs insiderent & in-ueterarent eluendas, memet accingerẽ. Maxime vero cùm inde non minima labes Sorbonæ nostræ candorem ac pu-ritatem inficere ac dehonestare videre-tur. Et id quidem negotij eò libentiùs ac securiùs suscepi, quòd ad corruptis-simi istius libelli iustam exauthoratio-nem tuæ authoritatis grauißimum põdus accesserit, qui cõuocato selectio-rum antistitum cœtu Anonymum hunc libellum falsi redargueris, & & censoriâ notâ dignum iudicaueris. Cui tam prudenti responso, imo decre-to tam sancto & iusto, si quis obsistere audeat, non modo gnauiter impudẽs, sed & Ecclesiasticæ Hierarchiæ pacis-que Christianæ perturbator habebi-tur. Atque hoc est quod apologetico meo libello institui demonstrare, Car-

dinalis Illuſtriſs. *quem tibi ampliſsimæque dignitati tuæ, pro eo ac debui offerendum conſecrãdumque putaui, Tibi, inquam, quem tota Gallia, imo & Chriſtianus orbis vniuerſus ſuſpicit ac veneratur, & qui in hâc cauſâ ſediſti iudex arbiterque æquiſsimus. Spero honorati tui nominis inſcriptionem huic meo libello præpoſitam, non libellum modò, quem à me ſincerus publicæ vtilitatis amor expreſsit, ſed & Auctorem qui ſe tibi profitetur deuinctiſsimũ, ab aduerſariorum aculeis facilè vindicaturam. Bene vale, è Sorbonâ tuâ pridiè Nonas Martij, Ann. 1612.*

INDEX REFVTATIONVM LIBELLI DE ECCLESIASTICA & Politicâ Poteſtate, cuius Author in decurſu huius examinis dicitur Anonymus.

AD LECTOREM.

Pag.60. linea 3. pro, Galeno, lege, Galerio. ibidem linea 5. pro, Marcellinus, lege, Marcellus. pag. 64. linea 4. pro, ὁμοούσιον, lege, ὁμούσιον. Si quæ alia occurrant, benigne si placet excusato.

Approbatio Doctorum.

NOs ſubſignati Doctores in alma Theologiæ Facultate Pariſienſi indubiam, ſtatam,& conſtantem fidem facimus, integrè & accuratè nos perlegiſſe codicem hunc à Magiſtro ANDREA DV VAL, in eadem Facultate Regio Theologiæ Profeſſore editum, ad vindicandam à calumniis & impoſturis Libelli nuper ab Anonymo quodam conſarcinati authoritatem & dignitatem ſanctiſſimi Domini N. Papæ in Eccleſiâ Catholicâ & Romanâ κορυφαιοτάτου, in quoquidem codice apologetico,nihil viſum eſt nobis quod auitæ & patritæ ſanctorum Patrum, ſacrorum Cõciliorum fidei, aut decretis noſtræ Facultatis Theologicæ minùs cohæreat, imo præclara quæque habet rationum & authoritatũ ἐπιχειρήματα, quibus deinceps & mala ſcripturientium cõtra Romanum illum apicem ſcabies conſopiatur, & obloquentium optimo illi Catholicorum omnium Parenti incoërcibilis lingua quaſi ranarum ſeriphiarum æternùm requieſcat. E muſeis noſtris in Academia Pariſienſi 3. Nonas Martias 1612.

GESLIN. FROGER.



LIBELLI
DE ECCLESIASTICA
ET POLITICA POTESTATE ELENCHVS.

NON ingratum fore arbitror, ſi Libelli de Eccleſiaſticâ & Politicâ poteſtate, paucis ab hinc menſibus in hac vrbe editi, ſed neſcio quo pudore, arguente credo conſcientia, in ſcrinio diu antea aſſeruati, errores detegam: ſimulque in transcurſu abſque ampliori refutatione, ne actum agere videar, in eos animaduertam. Sic enim & breuitate, faſtidio lectorum occurram; errorum redargutione, errantium ſaluti conſulam;

& veritatis oſtenſione Sorbonam noſtram Libello illo miſerrimè diſciſſam, quantùm in me erit, reſarciam: Et quamuis authorem eò deueniſſe non putem, vt ad hæreticorum caſtra tanquam Eccleſiæ perduellis trãsfugerit, aut vnquam vt credo transfugiet; diſſimulare tamen nequeo, quin magnam ad conflandum ſciſma, contra ſupremum Eccleſiæ moderatorem, Romanum nempe Pontificem, ſuis numeris acceſſionem parauerit, ne dicam apertiſſimam & largiſſimam viam ſtrauerit: in quo meminiſſe certè debuit ſimilitudinis à ſe toties repetitæ, ſummum nempe Pontificem eſſe in Eccleſiâ quod in homine eſt oculus, vnde vt oculus nunquam niſi cum euidenti periculo contrectatur, ſic nec ſacra & intemeranda Pontificis auctoritas, ſine magnâ & euidente

animarum pernicie contrectari, in dubium reuocari ne-dum pernegari vnquam poteſt: Hac enim de Eccleſiæ meditullio ſublatâ (ſi tamen ipſa tunc ſuperſtes eſſe valeat) nullum amplius Catholicis, ad ſe de hæreſibus in eos irruentibus vindicandum, reſtat remedium: *Hîc in tres partes*, inquiebat Hieronymus, *ſciſſa eſt Eccleſia, me ad ſe feſtinat rapere Meletius; Ego interim clamito, ſi quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Quiſquis extra hanc domum Agnum comederit prophanus eſt, ſi quis in arcâ Noë non fuerit peribit regnante diluuio*: Et vt in corpore humano ex Chirurgorum indubitatâ maximâ non aliunde quam ex ſolutione continui naſcitur dolor: Sic in myſtico Chriſti corpore non ex alio fonte hęreſes, ſciſmata, diſſidia & cæteræ id genus humani generis peſtes prodire ſo-

Epiſtola ad Damaſum.

lent, quam quia vni eíque ſupremo in Eccleſiâ paſtori non obeditur: Quod in mundo Sol, quod in corpore oculus, quod in arbore radix, quod in fluuio fons, quod in grege paſtor, hoc in Eccleſiâ ſupremus eſt Pontifex: abſtrahatur radius à à Sole, eruatur oculus à corpore, ramus à radice præſcindatur, fluuius à fonte diuertat, & grex à paſtore ſegregetur, nunquid vniuerſa hæc quamprimùm emori & in interitum ruere neceſſe eſt? Narrant rerum naturalium indagatores Hyænā ferociſſimum animal ita ouium greges circuire, vt paſtorem primò tantùm petat, naturæ miro inſtinctu, quòd eo fugato, aut deuorato in vniuerſum gregem liberiùs & faciliùs ſæuiat: Quæ cum attẽtiore mente perpenderem, ſenſi me ad parandam aliqualem prædicto libello reſponſionem impulſum:

eóque ardentiùs quod multos calamitoſo hoc tēpore de ſciſmate, & defectione à ſanctâ ſede Apoſtolicâ (& ſi Catholicorum nomen & inſignia præ ſe ferant) cogitare videam. Deinde cum author eo collimare videatur, vt omnibus perſuaſum velit doctrinam ſuam non eſſe priuatā, ſed communem totius Sorbonæ, quæ hodie tot tātiſque claret Doctoribus, à quibus cum proficiſci credetur, faciliùs & dulciùs virus illius narcoticū propinabit, Ego de huiuſce Facultatis gremio licet omnium minimus, venienti illi morbo occurrere ſtatui, impoſturā hominis detegere, & doctrinam illius non eſſe communem ſed priuatam oſtendere, vt caueāt monitore Auguſtino, qui eam tenere voluerint, ne cōmuni & Catholicâ cum euidenti ſalutis periculo iuſtè & meritò à Deo priuentur.

Paucis ergo rem ipſam aggrediemur : & ne quis primo in limine offendat, proteſtationes lubet præmittere ad inſtar noſtræ Facultatis Baccalaureorum. Proteſtor itaque me toto hoc opere abſtinere velle ab eis quæ vel poteſtatem regiam tantillum poſſunt imminuere, aut ſacrorum & œcumenicorum cōciliorum auctoritatem labefactare, aut libertates immunitates & priuilegia Eccleſiæ Gallicanæ conuellere, aut Magiſtratum ſeculatem vel minimùm lædere, aut decretis Facultatis Pariſienſis aduerſari, itaut ſi quid mihi in progreſſu iſtius examinis exciderit (quod tamen non euenturum ſpero) vel celeritati calami, vel mentis meæ feſtinationi attribuendum velim. Et ne quem noſtri huius inſtituti ratio lateat, primùm quidem quæ in formâ animaduertenda ve-

niunt breuiter proferemus, tum ad materiam, eiusque patentissimos errores disputationem nostrã conuertemus. In quâ quamuis animus sit, cõtra ea quæ receptissimis veritatibus aduersãtur manus præcipuè conserere, ea tamen referre non desinemus, quibus auctor sibi apertissimè contradicit, vt quisque iudicet, quanti ab omnibus fieri debeat, qui non modò cum veritate pugnat, sed ne quidem cum seipso consentit.

Quod itaque spectat ad formã, in eâ peccat grauissimè, vnde meritò à Prætore in ius vocandus esset. Primùm enim duo decreta facultatis Theologicæ ad calcẽ libelli apponit. vnũ anno 1429. datum. alterũ quod sex articulos tẽpore Francisci primi editos complectitur. Id autem motu proprio, & absque vllo Facultatis mandato, imò quoad ar-

ticulos contra expressam illius prohibitionem anno 1610. Kalendis Iulij factam, præsumpsit. Secundò in programmate horum decretorum ita habet. *Decreta facultatis Parisiensis de Potestate Ecclesiastica, & primatu summi Pontificis contra sectarios huius sæculi*: vbi per sectarios non potest hæreticos saltem ratione decreti primi intelligere, quippe-cum aduersus eos tantùm latum sit, qui Papæ nimiùm, vt putat, tribuebant & etiamnum tribuunt, qui certè non sunt hæretici, cùm nondum in Ecclesiâ grassarentur; tantumque abest vt ipsi nimiùm Pontifici tribuant, quin potius omnem ei potestatem in Ecclesiam adimunt: igitur velit nolit fateatur necesse est, se famoso illo sectariorum nomine contra mentem Facultatis, catholicos iurium sedis Apostolicæ propugnatores

hæresis insimulare. Ex quo satis cuiuis constare potest, eum nondũ abiecisse erroneam illam opinionem, quam in scholâ Dominicanorum Parisiensium, coram illustrissimo Cardinale Perronio nuper impudentissimè professus est, de fide esse Concilium esse supra Papam, cuius falsitas à magno illo Cardinale validis rationibus in amplissimis illis Comitiis demõstrata est. Etsi enim Parisiensis Academia stet à partibus Conciliorum generalium, non tamen propterea vnitatem cum cæteris Academiis discindit, neque earum Doctores pro deuijs à fide habet, aut vnquam habuit. Et quamuis in assertionem magis quam in assertorem insurgere statuerim, præterire tamen nõ possum hominis malè affecti animum, qui in recensendis protestationibus Baccalaureorum, tantùm

meminit decretorum Conciliorum generalium, & Facultatis Parisiensis, prætermittens contra morem, summorum Pōtificum, quod de industriâ fecit, vt potestatē condendi canones, contra quam toto libro debacchatur, ipsis summis Pōtificibus faciliùs adimeret: Quin etiam eum fraudis dolíque mali reum iudicauerim, quòd ad calcē libelli dixerit, *hæc Ecclesiæ Catholicæ subiecta sunto*, omittendo adhuc contra morem *Apostolicæ & Romanæ*, quæ tamen sola dici potest Catholica. Sic enim Ambros. *percontatus est olim ab Episcopo, vtrum cum Episcopis Catholicis, id est, cum Romana Ecclesia consentiret*; & Hieronymus, *fidem tuam*, inquit, *quam vocas eam-ne quam Romana colit Ecclesia? si Romanam respōderis, ergo Catholici sumus.* Itaut non aliter quàm per Romanæ Ecclesiæ pro-

Orat. de Satyro fratre.

L. 1. Apol. 1, contra Ruff.

fessionem Catholici ab hæreticis secernantur. Vnde ab authore sine graui offensâ istud omitti non potuit. Missos facio leuiores in formâ defectus, vt quòd Liber sit anonymus, quòd omissum nomen Typographi, quòd approbatione Doctorum careat, quòd importuno tempore & loco sit editus, idque contra consilium grauissimorum Doctorum, qui libellum hunc tineis, blattis, muribus relinquendũ iudicârunt. Ad errores venio. D. Gamache & Hebert.

Vulgare est atque indubitatæ fidei axioma, Deum & naturam priùs atque immediatiùs, ad totũ suppositum, quàm ad aliquam partem suppositi, quamuis nobilißimam intendere, eamque ob causam facultatem videndi toti datam esse homini, nam oculus per & propter hominem. 1. pag.

De hoc axiomate non magnopere laboramus, neque enim Phi-

losophos, sed Theologos agimus.
Doctorem tamen anonymum hoc
vnum scire velim, vt se soluendo è
portu grauiter allisisse agnoscat, &
quæ prauo isto sunt inchoata prin-
cipio, peiorem finem esse habitura
non dubitet. Nam etsi certum sit
oculum esse propter hominem, seu
potius ad illius conseruationem &
directionem, falsum tamen est esse
per hominẽ. Primò quia simul sũt
oculus & homo, neque vnus est al-
tero prior, aut posterior. Quinimo
cum oculus sit pars hominis, &
partes totum ipsum ordine saltem
naturæ præcedãt, potius homo erit
per oculũ & alias partes, quàm ipse
per hominem. Deinde caussa fina-
lis & efficiens numquam in vnum
& idem coëunt (si vnum Deum ex-
ceperis) finalis enim mouet quate-
nus absens, efficiẽs vero vt præsens,
illa solum metaphoricè, hæc vero

physicè, & realiter, illa actionem intentione præcedit, & in executione sequitur, at vero efficiens contra. Sed quid authorem impulit, vt similitudinem oculi potiùs quàm capitis assumeret? cum vtrumque sit pars hominis, & propter hominem? Nihil certè, nisi quod in Pontifice dignitas illa capitis ipsi displicet. Quid enim est quod toties inculcat *Pontificem esse caput secundum quid, ministeriale, instrumentarium, secundarium, accidentale*, nisi vt eam omnino cõuellat, destruatque? Sed de hoc infra vberiùs.

Schola Parisiensis hoc infallibili munita firmamento, congruenter ad Pag. 1. *mentem omnium antiquorum perpetuò constanterque docuit, Christum fundando Ecclesiam, priùs, immediatiùs, atque essentialiùs claues siue iurisdictionem toti dedisse Ecclesiæ, quàm Petro.*

Sed imprimis vbi vnquam apud Philoſophos reperit, *eſſentialiùs?* rerum enim eſſentiæ indiuiſibiles ſunt, & ſimiles numeris qui additâ aut detractâ vnitate illicò mutantur: ideoque magis & minùs nunquam ſuſcipiunt. Vbi pariter *immediatiùs* ? immediatum quippe eſt priuatio medij, quæ magis & minus ſimiliter non ſuſcipit. Sed ſyllogiſmum authoris, veriùs dixerim paralogiſmum expendamus. *Deus & Natura priùs, immediatiùs & eſſentialiùs ad totum quàm ad partem intendunt : Sed Eccleſia eſt totum, Pontifex vero pars; ergo priùs Eccleſiæ quàm Pontifici claues dedit.* Idem pænè eſt ac ſi diceret, Cœli mouentur ab intelligentiâ; atqui coruus eſt niger; ergo ſanguis eſt in arterijs. In quâ enim quæſo propoſitionum, attributum concluſionis iuxta præſcriptum Dialecticorũ præ-

fuit? Nõ miror ſi ex malâ hâc Dialectica peior Theologia naſcatur. Sed eius axiomate eum referiamus. *Deus & Natura priùs, immediatiùs, & eſſentialiùs ad totum quàm ad partem nobiliſsimam intendunt*, ſed regnum Galliæ eſt totũ, Rex verò pars eaque nobiliſſima; ergo *priùs, immediatiùs, & eſſentialiùs*, poteſtas regno quàm regi data eſt. Item, Deus & Natura priùs ad totã diœceſim quàm ad partem nempe Epiſcopum intendunt, ergo priùs & immediatiùs iuriſdictio diœceſi quàm Epiſcopo data eſt. Ciuitas ſimiliter eſt totum, Iudex verò pars; ergo Rex priùs ciuitati quàm Iudici cõfert iuriſdictionem. Quarum omnium illationum falſitas ſeſe, vt ſorex ſuo indicio, manifeſtiſſimè prodit. Eſt-ne itaque illud firmamentum infallibile? eſt-ne perenne illud æs Facultatis Pari-

ſienſis, quo tanquam præualido ſcuto, omnes aduerſariæ machinæ ſtatim retunduntur, & concidunt? Imo-verò audenter affirmauerim Doctores Pariſienſes infirmiore iſto fundamento minimè niti, cũ illud tantùm ad exornandas ſuas rationes proferre ſoleant, & quamuis illud tamquam verum aſſumerent, immerito tamen & impudenter quod ab vno aut altero Doctore aſſumitur, toti Facultati imputari. Sed informe eius argumentum ad ad formã quæſo reducamus. Deus & Natura priùs, immediatiùs, & eſſentialiùs ad totum quàm ad partem intendunt, Eccleſia eſt totum, Põtifex vero pars, ergo Deus priùs & immediatiùs ad Eccleſiam intendit. Quis dubitat? Nam Rex propter regnum, Paſtor propter gregem, & Pontifex propter Eccleſiam. Sed falsò poſtea colligitur, ergo

ergo priùs Ecclesiæ quàm Pontifici datæ sunt claues, neque enim priùs Reipublicæ, & gregi, quàm Regi, & Pastori, data est authoritas, etiamsi ad ea priùs Deus, & Natura res, exerint. Quamobrẽ nullę propriè communitati Ecclesię claues datę sunt, sed tantum Pontifici & Prælatis: quod primum facilè probatur similitudinę oculi & hominis: Solus enim oculus essentialiter, & immediatè videt: Homo vero denominatiuè & mediatè, nempè per oculũ: Atqui ex authore D. Petrus alijque Prælati sunt veluti oculus, Ecclesia vero veluti homo, ergo solus Petrus & alij Prælati Iurisdictionẽ essentialiter, & immediatè habebunt. Deinde licet partes hominis per se non agerent, sed duntaxat per corpus non tamen propterea sequeretur partes corporis mistici, qualis est Ecclesia per se nõ agere, quia sunt supposita per se subsistentia, quæ per

ſe agere videmus. Tales ſunt Prælati, & Pontifex: igitur proprie & per ſe claues ſunt habituri. Tertio Eccleſia dupliciter conſideratur, vel vt diffuſa per orbem, vel vt in cõcilio cõgregata: ſi prius, nullas habet claues, ſiquidẽ prout eſt diffuſa nullum actum iuriſdictionis exercet, non decernit, non leges condit, nec alia præſtat, quæ ſunt iuriſdictionis, ſed tãtùm leges & decretales obſeruat & exequitur. Si poſteriùs, quatenùs eſt in Concilio vnita, ea quidem habet claues: Concilium enim decernit leges cõdit negotia Eccleſiæ componit, &c. Attamen quia hæc Concilio conueniunt, quatenus ex Prælatis coaleſcit, accõmodatiùs ſemper dicitur, Pontifici, & Prælatis, potiùs quàm Eccleſiæ claues eſſe datas: Illudque teſtimoniis ab authore allatis patet: Mathei 18. *Quæcumque ligaueritis*, Lucæ 10. *Deſignauit Dominus, 72. & miſit*. Ioannis 17. *Sicut me eos miſiſti in mundum, &c.*

His enim & ſimilibus tantùm efficitur Prælatos non Eccleſiæ communitatem habere iuriſdictionem: vnde conſequenter falſa eſt, hæc expoſitio, Chriſtum nempe, quoties Apoſtolos in plurali alloquitur Eccleſiam ſemper intelligere: Si enim ita ſit, vnde nam, quæſo, conſtabit Apoſtolos peculiariter, & ſeorſim iuriſdictionem habuiſſe, ſi quidem cum eos Chriſtus eſt alloquutus Eccleſiæ communitatem, vt ipſe vult intelligebat, eique claues conferebat: Atqui certum eſt Apoſtolos ſeorſim iuriſdictionem habuiſſe, cum eam ſeorſim exercuerint. Igitur Chriſtus non Eccleſiæ communitati, ſed Apoſtolis claues contulit. Deinde Lutheraniſmum ſapit iſta expoſitio: Si enim claues communitati datæ ſunt, ergo omnes tanquam Sacerdotes, vt volebat Lutherus ligare, abſoluere, & prædicare, poterunt,

cum ſint illius communnitatis partes: quod à vero abhorret. Tertiò, data hypotheſi, quòd Prælati omn:s de medio tollerentur poſſet Eccleſia iuxta hanc expoſitionem iuriſdictionem tunc per ſe exercere: quia ſecundum authorem claues haberet: hoc autem eſt erroneum, quia tunc Eccleſia redacta eſſet ad ſolos laicos nullam in Eccleſiâ iuriſdictionem habentes: Iſtud certè Anonymum in errorem induxit, quod putauerit idem eſſe dari multis, & dari communitati, quæ tamen longe diuerſa ſunt: In Ariſtocratico. enim regimine in multis optimatibus eſt authoritas: non tamen in tota communitate: Denique, *toti Eccleſię datę ſunt claues ea de cauſſa*, inquit, *quia datę ſunt propter Eccleſiam ſicut Facultas videndi propter hominem*: Ergo cum abiectiſſimi quique vt Cerdones lanij baiuli Eccle-

ſiam componant, & propter ipſos non minùs quàm propter alios datę ſint claues, ſequitur neceſſariò, ipſis contemptiſſimis alioquin hominibus claues eſſe à Chriſto conceſſas; quod tamen à veritate alieniſſimum nemò eſt qui non facilè videat. Non ignoro hæc omnia præter mentem Anonymi auctoris inferri, ſed ex ouis quæ poſuit facilè eſt tales pullos excludere. Dicam ingenuè cum miſerè detortum illum Scripturę ſenſum animo reuoluerem, occurrit quod Bernardus ſcribit ad Innocẽtium, Anonymo auctori mirè conueniens. *In Franciâ habemus nouum de vetere Magiſtro Theologũ, qui ab ineunte ætate, in arte Dialecticâ luſit, & nunc in Scripturis ſanctis inſanit, olim damnata & ſopita dogmata ſuſcitare conatur, inſuper & noua addit.* Epiſt. 190.

Quandoquidem tota iuriſdictio

Ecclesiastica ei, nempe Ecclesiæ, *pri-*
Pag. 1. N. 1. *mariò, propriè ac essentialiter conue-*
nit.

Hæresim sapit hæc propositio. Primùm enim si verbum illud *propriè*, quatenus improprio opponitur, sumatur; summus Pontifex impropriè tantùm iurisdictionem habebit, quod dictu impium est, nedum hæreticum. Si verò vt est proprium quarto modo, quod omni soli & semper conuenit, soli ergo Ecclesiæ nullíque præter ipsã alteri iurisdictio cõueniet. quod secundum nemo similiter citra hæresim defendet, & testimonia iam allata luculenter probant. Sed quomodo adhuc subdit auctor *essentialiter*, atque *primariò*, cùm iam constet
De potest. Eccles. considerat. 4. iurisdictionẽ ministris datam? Potestas enim iurisdictionis, ex Gerb-
De potestate Eccles. c. 2. sone, & Almaino, est facultas propinqua dicendi ius, & vbi externa

est, in inuitum & renitentem; atqui Ecclesia seorsim à Prælatis sumpta nullum ius dicit, nec potest dicere: Sic enim laïcos duntaxat complectitur. nisi fortè cum nouatoribus quibusdam, ad laïcos tanquam ad triarios Ecclesię summam reducamus. Deinde quibus ex officio incumbit regere, his competit iurisdictio; Ecclesia seorsim à Prælatis & præsertim summo, non regit, sed regitur, (nisi eam fortè Anacharsidis Remplicam faciamus, in quâ sapientes reguntur à stultis) ne ergo amplius auctor Anonymus toto suo libello blateret, iurisdictionis claues primariò, propriè & essentialiter Ecclesiæ datas esse; cùm propriè, vt loquuntur, quarto modo Prælatis & pręsertim summo conueniant. Quamuis tamen ad Ecclesiæ ædificationem tanquam ad finem, & non ad destructionem da-

tę ſint, ex prioris ad Corinth. 3. *Nemo glorietur in hominibus, omnia enim veſtra ſunt* (id eſt Eccleſiæ) *ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue preſentia, ſiue futura, omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.*

Pag. 2. N. 2. *Enimuero cum Matth. 16. verbo futuri temporis claues nomine totius Eccleſiæ B. Petro deſpondiſſet, Ego tibi dabo claues regni cælorum, tum-demum eas actu confert ordini Hierarchico,* Matth. 18. *vbi Chriſtus ſufficientẽ & Architectonicem Eccleſiam ita conſtituit, dic Eccleſiæ.*

Iſtud non minùs quàm priora ineptum, falſum, & temerarium. primùm quia Chriſtus remittendo incorrigibilem ad Eccleſiam, non tam poteſtatẽ eius inſtituit, quàm ſupponit: deinde eò loci per Eccleſiam intelligendus eſt Paſtor:

ita enim Chryſoſtomus, *dic Eccleſiæ*, id eſt Præſulibus, Euthymius Præſidentibus, Ianſenius & reliqui, quorum ampliſſima teſtimonia proferrem, niſi ſtuderem promiſſæ breuitati. Rationes itaque tãtùm adducemus. Prima eſt, cùm ordo correptionis fraternæ à Chriſto hîc præſcribatur, ſi Eccleſię nomine cœtus fidelium veniat, laicus qui Prælatum non adijt, toti Eccleſiæ fratrẽ incorrigibilem denuntiare debebit, cuius denuntiationem ſi ipſe contemnat, Ethnicus & publicanus habebitur, id eſt excommunicatus; quod certè non ordo ſed ἀταξία, & confuſio, non Catholicum, ſed Illyrici & Brentij dogma eſt. Deinde cum poſtea ſubdat Chriſtus, *ſi Eccleſiam non audierit*, Eccleſia certè non aliter quã per Prælatos auditur: ſoli enim in medio Eccleſiæ os aperiunt & loquun-

L. de Epiſc. elect. In proleg. contra Pet. Soto.

tur. Tertiò ex conſequentibus ſatis conſtat, remittendos eſſe peccatores ad ſolos Prælatos, cùm ſoli habeant poteſtatem ligandi & ſoluendi, de quâ ſtatim Chriſtus cum Apoſtolis ſermonem inſtituit. *Amē amen dico vobis quęcumque ligaueritis*: ex quo facilè argumentum in authorem retorqueo, Chriſtus nomine Eccleſiæ Prælatos intellexit, atqui tunc ex ipſo ſufficientem, & Architectonicem poteſtatem contulit, ergo Prælati ſoli eâ ſunt præditi, non Eccleſia: nec dicat Chriſtum ibi alloqui D. Petrum, eúmque ad Eccleſiam pro denuntiando fratre remittere, his verbis. *Reſpiciens Ieſus in diſcipulos ſuos, dixit Simoni Petro. Si peccauerit in te frater tuus*; facilis enim eſt reſponſio. Petrus tunc nec Sacerdos, nec Paſtor, nec Pontifex erat, ſed tantùm ſubditus & laicus, vnde non mi-

rum si eum ad Prælatum pro fratris delinquentis denuntiatione remiserit. Sed quæso, te author Anonyme, quomodo ex hoc scripturæ loco colligis istam Ecclesię Architectonicam potestatem, vel potius, ἀυταρκείαν esto (quod tamen falsum) potestas excommunicandi ei tunc collata fuerit; An hoc ad perfectam illius constitutionem satis est? Vbi caput, vbi Prælati, Sacerdotes, & cætera officia quæ nõ minùs quàm excommunicandi potestas ad ἀυταρκέιαν illam debent concurrere? Sed video quid velis & quô tendas, Ecclesiam nempe absque capite posse subsistere, & Pontificem Romanum ei esse duntaxat accidentalem: finiam, si contra te Almainum protulero, qui expresse docet nulli supppposito datã fuisse potestatẽ iurisdictionis nisi quando Ioh. vltimo, post resurrectio-

De potestate Ecclesiastica cap.3.

nem ſuam Chriſtus dixit Petro, *paſce oues meas*, etiamſi (inquit) eſſẽt antea aliqui Sacerdotes, vt pote ab eo in cœnâ conſecrati. ex quo ſimiliter concidit quod ais Eccleſiam habuiſſe realem miſſionem, quando Lucæ 10. *Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos & miſit eos binos*, nam etſi verum ſit habuiſſe tunc prędicandi poteſtatem, & Apoſtolatum pręceſſiſſe Sacerdotium, non tamẽ propterea conſequitur, eos per iſtam miſſionem omnes actus iuriſdictionis habuiſſe. nondum erant baptizati, nondum Sacerdotes, nõ ergo omnem iuriſdictionem habuerunt. Itẽ quotidie concionatores ad prędicandum mittuntur à Pręlatis, nec tamen per Diœceſim aliâ iuriſdictione fruuntur. Plura hac de re non dicam, ſat mihi errores tuos enotâſſe, hos noſſe refutaſſe eſt. Tertul. de præſcript.

Christus autem omnes Apostolos, atque discipulos, qui Episcopalem, & Presbyteralem ordinem referebant, immediatè, indiuiduè, & collectiuè misit, sicut & à patre suo, id est, cum iustâ, & spirituali authoritate ad Ecclesiam regendam necessariâ, missus fuerat. Pag. 2. N. 2.

Vnum in hoc duntaxat me mouet, nempe Christum Apostolos collectiuè misisse: cùm enim per missionẽ, iurisdictionem semper author intelligat, si Apostoli eam tantùm collectiuè habuerint, eam non nisi collectiuè, & coacti in vnum exercêre vnquam potuerunt, quod si dixerit certè hæresim dicet, cum de fide sit Pastores seorsim iurisdictionem habere, & exercere: quod si tantùm velit Christum eos simul allocutum esse, simúlque misisse, errat, & cõtradicit Ioannis vltimo. *Petre pasce oues*

meas: & Matth. 16. *dabo tibi claues regni cœlorum:* quæ Petro nullíque alteri conueniunt: Ambiguitas loquendi fucum certè lectoribus facit, vel certè conſcientia quæ mille teſtes, eum redarguit. Lapſus tamē hic memoriâ videtur author. Chriſtus (inquit) cùm Apoſtolis in plurali loquitur, de Eccleſiâ ſemper eſt intelligendus, cùm ergo dixit illis, *Sicut me miſit viuens pater, ita & ego mitto vos*, Eccleſiam miſit, ſed ad quos? certè non ad alios quàm ad Eccleſiam ipſam, idem ergo miſit ad ſeipſum, Eccleſiam ad Eccleſiam. quod ineptum, ridiculum, & temerarium eſt.

Pag. 2. N. 2. *Quibus verbis liquidò demonſtratur Chriſtum non tam vni & ſoli Petro, quàm vnitati infallibilem clauium poteſtatem detuliſſe: vt D. Cyprianus & Auguſt. confirmant.*

Proh superi! quantùm mortalia pectora cæca Noctis habent!

Tot errorum ac ignorantiæ maculis fœdatus est hic locus, tot falsimonijs scatet & imposturis, vt mirum sit, imò miserum eò Theologum hominem deuenisse: Et certè vix scio vnde tot sordes incipiam eluere. Nam in citandis Canonibus falsitas est, in modo loquendi turpis ἀκυρολογία, in argumenti explicatione, & consequentiæ vi mera ignorantia, in propositione Anglicanum dogma, in sensu Canonum mira deprauatio, deniq; aperta auctoris contradictio.

Et falsitas quidem in citandis Canonibus huiusmodi est, quòd nulla in Canonibus allatis de infallibili clauium potestate fiat mẽtio, sed potius de excommunicatione & reconciliatione, quæ cùm ad facti quæstionem spectent non po-

poteſt in ijs aliquando error non contingere: non enim dubitamus multos in terris anathematis vinculo ligari, qui tamen coram Deo liberi ſunt, & abſoluti. Modus verò loquendi omninò ineptus eſt & impropriùs. Quid enim ſibi vult per infallibilem clauium poteſtatem? Duæ à Theologis claues aſſignantur; vna Scientiæ, quæ ad fidei determinationem, & Canonũ inſtitutionem: altera Iuriſdictionis, quæ ad pœnas infligendas refertur. Sed primò improprium eſt clauem hanc iuriſdictionis infallibilẽ dicere, falſitas enim in ſolum intellectũ cadit nõ in voluntatem, in quâ tamen eiuſmodi clauis tantùm reponitur. Quod ſi de claue ſcientiæ loquatur, velim ſciat me non iſtam infallibilitatem in Concilio generali (hoc enim eſt quod ipſe præcipuè intendit) Petro ſeu

Pontifice

Pontifice destituto reponere. In hoc enim primò nulla est vnitas. Quam enim vnionem membra habent si non adhærent capiti? Deinde cùm ex Doctoribus, propterea infallibilitas sit in Concilio, quia Concilium vniuersalem per Prælatos repræsentat Ecclesiam, certè si Pontifex absit, eam non repræsentabit; erit enim corpus mutilum & imperfectū, potissimâ sui parte destitutum. Ex quo fit, vt tunc ea congregatio, etsi esset omnium totius orbis Episcoporum, non Conciliū, sed conciliabulum & latrocinium Ephesinum dici deberet. Quamobrem perperam, imò falsò auctor asseruit, non tam vni & soli Petro, quàm vnitati claues esse datas. Igno rantia etiam consequentiæ manifesta est, sic enim infert. *Christus misit in mundum Apostolos, & rogauit Patrem vt essent vnum, sicut ipse & Pa-*

In 4. dist. 24.

ter vnum ſunt, *ergo*, inquit, *claues vnitati potius quàm vni conceßit*. Ludit certè de ſcripturis, quis enim hãc conſequentiam non rideat & exſibilet? Rogat quidem Chriſtus, vt ſumma ſit inter Apoſtolos pro diſſeminando Euangelio animorum conſenſio, & ſint ſanctificati in veritate, ſed non propterea claues vnitati confert. Vbi enim verbulum de poteſtate & clauibus? Ait quidem Chriſtus ſe eos miſiſſe in mundum, ſed alia eſt poteſtas prædicandi, & alia ius dicendi; hæc enim duo vt iam oſtendimus, longè diuerſa ſunt. Niſi fortè auctor cum Caluino omnia ad prædicationem referre velit. Sed & propoſitio dogma refert Anglicanum. Si enim magis vnitati Eccleſię, quàm Petro & Pręlatis ſingulis collatæ ſunt claues, cùm Eccleſia ſeorſim à Prælatis ſumpta plebeios, idiotas, & abie-

ctiſſimos quoſque contineat, in ijs certè claues reſidere erit neceſſe, quod impium atq; hæreticũ. Canonum autem ſenſus omninò eſt deprauatus: Cyprianus enim Canone *loquitur* tantùm docet Chri- 24. q. 1.
ſtum poſt reſurrectionẽ ſuam omnibus Apoſtolis claues contuliſſe, Petrum tamen alijs eo fine prætuliſſe, vt ab vno hoc ſtipite Eccleſia vnitatem ſortiretur, & in quolibet illius ſucceſſore, qui vnicus ſemper exiſtit, hanc vbique & perpetuò ſeruaret. Vult ergo Cyprianus claues vnitati datas, id eſt, in finẽ vnitatis: itaut Eccleſia non ſit id quod claues habet, ſed ad quod poteſtas, & vſus clauium tanquam in proprium finem refertur. Canon *alie-* 24. q. 1.
nus tantùm de vnitate deprecantium, non iuriſdictionis loquitur. vult ſiquidem duobus conuenientibus inter ſe ad orandum Deum

benignè, & cum fauore illis adesse, iuxta promissionem Matth. 18. *si duo consenserint inter se de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo.* Augustinus vero Canone
24.q.1. *quodcumque* tantùm intelligit datas claues Ecclesiæ, vel quia sunt propter Ecclesiam, vt iam diximus, vel, quod textui magis quadrat, solùm intrà Ecclesiam, non extrà, claues reperiri. Infidelis enim hæreticus, & quicunque sunt extra Ecclesiam, nullam in fideles spiritalem habent iurisdictionem. Denique authoris contradictio apertissima est; hîc enim infallibilem clauium potestatem vni Petro tribuit, licet non ita, ac Ecclesiæ; alibi verò, vt infra constabit, eam infallibilitatem ei omnino denegat. Vni igitur Petro & simul vnitati Ecclesiæ cùm claues esse datas affirmat noster Anonymus, duo suprema tribunalia

duasque summas cathedras necessariò adstruit, quod non solùm factu impossibile, sed etiam omnem Ecclesiæ statum labefactat & destruit.

Quam doctrinam Beatus Bernardus lib. 3. de considerat. ad Eugenium mirum in modum illustrat. Pag. 3. N. 2.

Ecquis Catholicorum negat, aut negauit vnquam alias potestates à Papali à Christo esse institutas? verissimũ est profectò potestatẽ eam quæ omni humanâ superior existit, non posse ab vllâ hominum societate creari, aut quomodolibet institui. Talis est potestas Prælatorum Papâ inferiorum, atque sacerdotum, conficiunt enim corpus, & sanguinem Christi, ligant, & soluunt tã in cœlo; quàm in terrâ, priuant suffragijs Ecclesiæ, pœnas purgatorij saltem Prælati per indulgentias relaxant. ab alio ergo quàm

à Christo eorum potestas institui non potuit. Sed hanc D. Bernardi sententiam quæso, in aduersarium retorqueamus; Potestas summa Papalis ab alio quàm à Christo non potuit institui, cur ergo ab Ecclesiâ & per Ecclesiam eam esse toties repetit, non minùs quàm facultas videndi per hominem? conditionem scilicet Papę inferiorem facit conditione Prælatorum & sacerdotum, adeo vt ex illius principijs neque ad cœlum neque ad purgatorium posset se extendere: cùm Ecclesia sine Christo talem potestatem conferre non possit. Iam-vero pro Pontifice loquentem Bernardum audiamus. *Age*, inquit ad Eugenium Papam, *indagemus diligentiùs quis sis. Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu Primatu Abel, Gubernatu Noë, Patriar-*

Lib. 2. de considerat. cap. 8.

chatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus, & paulopost. *Habent alij Pastores suos, tibi crediti sunt vniuersi, vni vnus, nec modò ouium, sed & Pastorum, tu vnus omnium Pastor. Quæres, vnde nam id probemus? pasce oues meas, quas? illius vel illius ciuitatis, regionis, aut regni? oues meas, inquit, cui non planum non designasse aliquas, sed designasse omnes.* hactenus Bernardus.

Adde quod summa totius externæ iurisdictionis Ecclesiæ, in Facultate excommunicandi conquiescit. Pag. 4. n. 2.

Id est non vlteriùs progreditur, nec ad pœnas corporeas sese extendit: id verò mendacium est purum putum, Prælatis iniuriosum, & cõsueto & communi Ecclesiæ vsui repugnans; ideóque, vt ait D. August. insolentissimæ insaniæ. Epis- Ep. ad Ianuarium.

copi enim eorúmque, vt loquuntur, Officiales in carcerem agunt reos, monasterijs includunt, ieiunia indicunt, & cùm publicum aut nominatim excommunicatum absoluunt, eum pro foribus templi, in signum pœnæ corporalis quam iustè possent infligere, virgà cædũt. Vnde etiamsi Ecclesia, vt Christus, nolit mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat; eiusque pœnæ potiùs beneficia quàm supplicia sint, omnes tamen fermè pœnas infert, præter mortem, mutilationem, & violentam sanguinis effusionem. A pecuniariâ ordiamur 21. q. 3 *Quisquis inuentus fuerit reus sacrilegij, Episcopis vel Abbatibus ad quos querimonia peruenerit, 30. libras argenti purißimi componat.* De carcere & ergastulo Concilium Toleta. 2. *Qui mortis aut mutilationis Sententiam ipsi ferunt aut præci-*

piunt ferri, ordinis honore priuentur, & loco, & sub perpetuo teneri damnationis ergastulo relegati iubentur. Itemque Concil. Toleta. 9. Sacerdotes magicis præstigijs operam dantes, proprij honoris gradu deponi præcipiuntur, & exilij perpetui ergastulo relegari. De infamiâ extat Decretum Calixti his verbis. *Nos vero sequentes patres nostros eos notamus, & infames esse censemus.* De exilio. Concilium Braccharense, Prælatus qui subditos suos liuore vindictæ crediderit verberandos, iuxta modum verberum quæ intulerit, excommunicationis & exilij sententiam sustinere iubetur; De verberibus Adrianus Papa 5. q. 1. *Qui in alterius famam publicè scripturam, aut contumeliosa verba confinxerit, & repertus scripturam non probarit, flagelletur.* Possem complures alios Canones alijs ex

locis colligere, multáque locupletiſſima proferre teſtimonia, ſed ſatis eſſe duco digitum in fontes primarios intendiſſe; vnde diſciplinæ vtiq; cõpos noſter ANONYMUS intelligat ſe grauiter fuiſſe alucinatum, cùm putauit ſummã totius externę iuriſdictionis Eccleſiæ in facultate excommunicandi conquieſcere.

Praxi Eccleſiæ primitiuæ & ſacris canonibus exploratiſsimum eſſe collationes beneficiorum 1400. annis communi iure id eſt ſacris electionibus *factas* & paulo poſt *vt lex diuina & naturalis confirmant.*

Pag. 4. n. 2.

Contendit electiones prælatorum ita eſſe de lege diuina & naturali, vt contra eas *neque priuilegia locorum, neque ſpatia temporum, neque conditiones perſonarum præſcribere* vnquã potuerint. quo fit vt ex eius ſententiâ vigeant adhuc eiuſmodi leges. Sed errat grauiſſimè, mag-

namque Pontifici, Regi, totique Galliæ clero infert iniuriam. Alterum enim è duobus sèquatur necesse est. Aut nullos iam in Galliâ esse Episcopos, nullamque amplius legitimam Prælatorum vocationem. quod dicere stultum est ac seditiosum. Cùm ante 90. & ampliùs annos, nullus eorum per electionem ad apicem Episcopatus euectus fuerit: aut saltem, quod Author nullâ arte potest effugere, summum Pontificem, Regem & omnes Galliæ Prælatos, mortaliter peccâsse & quotidie peccare. Sed pressiùs agamus, & electiones non esse de iure diuino & naturali breuiter & expeditè doceamus. Ius naturale à Theologis definitur quod nullâ adhibitâ finis aut circunstantiarum consideratione statim vnicuique occurrit, vt Deum esse colendum, Parentibus obtemperandum, nemini inferen-

In concord. An. 1514.

D. Tho. 2.2. q. 94. a. 2. Sotus de Iust. & iure. q. 2.

rendam iniuriam. At ſanè nũquam auctor ſi frontem habet, affirmârit, Prælatorum electiones ſicut & illa præcepta vnicuique ſtatim in mentem venire. Reſpondebit forte electiones illas rectę rationi ad modum conſentire. populi enim impenſiùs ſolent eos quos elegerint diligere, iiſque liberiùs obtemperare, ſed vt-vt res habeat de electionum vtilitate de quâ nunc agere non vacat, hoc non arguit eas eſſe de lege naturæ; quandoquidem leges Canonicæ, Ciuiles, & quæcunque prudenter & maturo conſilio ab hominibus fiunt, de lege naturæ dicerentur: cùm rectæ rationi conſentiant, quod certè nemo dixerit. Sed neque etiam de lege diuinâ. Hæc quippe Euangelio & traditione continetur, at nullibi in nouo teſtamento pręceptum eligendi Prælatos legitur. Nam quod

Act. 1. habeatur electio Mathiæ. 6. septem Diaconorum. & 13. segregatio Pauli & Barnabæ ad Apostolatum gentium. & 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ tibi data est per impositionem manuum Presbyterij.* primùm quis non videt in his omnibus nullum extare pręceptum? sunt enim exempla & facta quę vim legis nequaquam obtinent. Deinde quod spectat ad Mathiam, etiãsi ab Apostolis cùm Ioseph statutus in medio fuerit (quod electionem videtur arguere) non tamen ab alio quàm à Spiritu sancto sorte immissâ in locum Iudæ proditoris suffectus est. Pro 7. Diaconis, non fuerunt illi Episcopi, nec Sacerdotes, sed tantùm custodes bonorũ à fidelibus oblatorum, quos propterea æquius fuit cõmuni fidelium suffragio, quàm auctoritate Apostolicâ creari. Se-

gregatio Pauli & Barnabę electionibus non fauet, quippe cum Spiritus ſancti iuſſu, non Christianorum ſuffragio, ad Apoſtolatú gentium euecti ſint. Quod ad impoſitionem manuum presbyterij, ambiguitas eſt in nomine presbyterij, an conuentum ſeniorum, an verò ſacerdotij dignitaté ſignificet. Sed quicquid ſit hoc exemplo non magis quàm alijs eligendi pręceptum ſtabilitur. Quantùm ad Traditionem diuinam nulla ſimiliter extat. Etſi enim mos eligendi Epiſcopos, ab Apoſtolorum tempore reperatur; non tamen propterea traditio illa pręceptum diuinú arguit: quędam enim ſunt traditionis Apoſtolicę, quę nihilominus vim diuini pręcepti non habent, vt Quadrageſima quę traditionis eſt Apoſtolicę, nec tamen iuris eſt diuini, ſed tantùm Eccleſiaſtici, vt etiam alij

quidam Ecclesiæ ritus. Sic neque electiones alterius iuris sunt quàm Ecclesiastici, licet mos eligẽdi manârit ab Apostolis. Forte dicet D. Cyprianum electiones de iure diuino adstruere. Notanda quippe sunt eius verba Epist. 68. *de diuinâ auctoritate descendunt, & sunt secundum diuina magisteria.* Sed respondeo Cyprianum tantùm voluisse electiones sine fraude & ambitione factas, habere diuinam auctoritatem, quia eis iuxta promissionem Christi Matth. 18. adest Spiritus sanctus. Vnde per diuina illa magisteria, tantùm intelligit exempla & facta cùm Christi, tum Apostolorum, quæ etsi præcepta non sint, ad praxim tamen quantùm fieri potest vtile est reuocare. electiones ergo, quidquid dicat aduersarius, solius sunt iuris Ecclesiastici, quo cum non teneatur Pa-

pa cùm ſupra illud ſit, legitimè antiquam eligendi formam ad collationem & nominationem, quę nunc viget in Galliâ reduxit. Huius rei teſtis eſt Alliacenſis Doctor Pariſienſis, qui ſex Eccleſiæ poteſtates docet initio communes fuiſſe omnibus Apoſtolis, *tamen quia ex hoc*, inquit, *confuſio ſequi poterat Chriſtus hoc præuidens contulit Petro & ſucceſſoribus auctoritatem diſponendi miniſtros Eccleſiæ, & determinãdi iuriſdictionem, dicens paſce oues meas* Ioannis vlt. Idem docet Almainus *ideo vni Petro & ſucceſſoribus eius data eſt poteſtas conſtituendi Canones, conferendi beneficia, dignitates Eccleſiaſticas per vniuerſum orbem & nulli alteri.*

C. 3. de Auctor. Eccl.

De poteſt. Eccl. c. 4.

Pag. 4. n. 3.

Omnis principatus quoad vim coactiuã ab hominũ conſenſu pendet.

Scelerum noſtrorum vindex Deus ſeuerioris iuſtitiæ gladium profert ac diſtringit,

ac distringit cùm peccatum peccato, & errorem errore plectit: hoc in authore liquet. vbi enim in Episcoporum creatione cæcutijt iam cùm Luthero desipit, sibique apertissimè contradicit. *Omnis* (inquit) *principatus ab hominum consensu pendet*: quæ propositio Lutheri est epistolâ ad Silrignium, *ampliùs dico neque Papam, neque Episcopos, neque vllum hominem habere ius constituēdi vel vnicam syllabam super hominem Christianum, sine eius consensu, quod aliter fit venit à Spiritu tyrannico.* Sed vlteriùs adhuc progreditur Anonymus, si enim omnis principatus à subditorum consensu pendet, quoad vim coactiuam Rex Galliæ suum precariò à subditis tenebit imperium, nec suis legibus quantumuis iustis poterit citrà ipsorum consensum eos adstringere, cùm tamen *omnis anima potesta-*

Luther Ep. ad Silri.

D

tibus sublimioribus subdita sit, siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Ex Almaino sententiam hanc suffuratus, truncatis pedibus nobis eam exhibuit *nemo potest* (inquit Almainus) *obligari nisi aut ex consensu proprio aut voluntate superiorum*. non ergo à solo subditorum consensu pendet vis coactiua Principis, aliàs authoritas eius vana & otiosa esset, quo fit vt etiamsi iuxta receptam Galliæ consuetudinem edicta verificari soleant, ab istâ tamen declaratione suam vim nullo modo mutuantur, cum ipsa sit tantùm conditio necessaria, vt de Principis voluntate & intentione constet. eodem prorsus modo quo libri Canonici per Ecclesiam innotescunt, cùm tamen Scriptura à Spiritu sancto, non ab Ecclesia autho-

De potest Eccl. cap. 3.

ritatem suam habeat. Nec vrgeat illud Augustini *leges instituuntur, cùm promulgãtur, firmantur cùm moribus vtentium approbantur.* Etsi enim leges non receptæ iuxta Theologos nullam obligationẽ inducant, peccant tamen (inquiunt) grauiter subditi, quando absque causâ eas nolunt recipere. quinimo tunc potest Princeps pro suæ plenitudine potestatis ad recipiendum eos adigere. Cęterùm hic obseruanda cõtradictio manifesta: quandoquidem coactio & consensus ita opponuntur, vt nequidem per absolutam Dei potentiam conuenire, simulq; stare possint, coactio enim est in inuitum & renitentẽ, consensus à liberrimâ voluntate manat. Dist. 4. can. in istis.

Ecclesia est politia monarchica ad finem spiritualem instituta, regimine Aristocratico quod omniũ optimum & naturæ cõuenientißimum est, tẽperata Pag. 5. n. 3.

à summo animarum pastore Domino nostro qui Rex est, Monarcha & Dominus absolutus.

Vbique scopuli, vbique syrtes, vbique charybdes & scyllæ; & quò altiùs prouehor eò furit exæstuatque magis errorum hic oceanus. scilicet falsissima est Ecclesiæ data definitio, ne dicam hæretica. politia enim, vt communiter vsurpatur, actum & accidens significat, non naturam & essentiam Ecclesiæ, quæ ab omnibus (nullum enim credo suæ definitionis patronum habet Anonymus) definitur *congregatio fidelium sub vno summo pastore Christi vicario militantium, & iisdem sacramentis participantium.* Sed hanc definitionem de industriâ author tacuit, quòd suum cõtra pontificem intentum omnino destrueret, illum nempe accidentalem non essentialem Ecclesiæ esse. Cæterum quando statuit Eccle-

ſiam politiam monarchicam, vel vult Chriſtum illius eſſe monarcham, vel pontificem, vel vtrumque: ſi Chriſtum vt ex verbis eius clariſſimè patet, non minùs iniuriosè quam hęreticè ait monarchiã illam regimine Ariſtocratico temperari, quippè cum Chriſtus in ſolidum citrà vllius conſortium Eccleſiam, ſponſam ſuam dilectiſſimam regat; ſi Pontificem, aut vtrũque ſimul, ſed ſubordinatè; ergo Pontifex eſſentiam Eccleſiæ ingredietur, & ſic non erit illius accidentale caput. Quod autem ſtatuat regimen Ariſtocraticum eſſe omniũ optimum & naturæ conuenientiſſimum, monarcho-machum omnino ſe prodit, Regúmque ſtatibus non mediocriter infenſum: qui tamen quoties edicunt, ſatis ſuperque oſtendunt authoritatem ſuam ab optimatibus minimè pendêre.

Nec tergiuerſetur, ſe de monarchiâ regimine Ariſtocratico temperatâ agere. Si quidem abſolutè loquitur, & loquela eius contrarium manifeſtum facit. Particulam enim (*quod*) non ad politiam monarchicam, ſed ad regimen Ariſtocraſticũ referre neceſſe eſt, ni in libello authoris cum aſyllogiſtiâ & bonorum ſyllogiſmorum penuriâ copiam habeamus ſolœciſmorum.

Pag. 5. N. 3. *Lege Euangelicâ ſtante, Chriſtus diuortium cum Eccleſiâ ſponsâ facere non poteſt, quod de ſymbolico, & miniſteriali capite Romano Pontifice aſſeri non debet, quem ſaltem ad tempus adeſſe & abeſſe videmus abſque Eccleſiæ interitu.*

Schiſmaticum, portentoſum, & & anteactis ſæculis inauditũ dogma, authori cum Philippo Mornæo cõmune: Eccleſiam poſſe abſque Pontifice ſubſiſtere, quod infra multo declarat apertiùs. *Eccleſia*

(inquit) *ſumpta pro cœtu fideliũ vnico & ſolo capite ac fundamẽto eſſentiali Chriſto Domino contenta eſt*, & cũ illud ſibi obijcit, Petrus eſt petra, fundamẽtũ, & caput Eccleſiæ, ergo Eccleſia nequit ſubſiſtere ſine Papâ. *Quaſi verò*, reſpõdet, *eſſentiale & primariũ non ſecundarium & miniſteriale eſſet*. Vbi miniſteriali opponit eſſentiale ſicut primario ſecundariũ. enimuero quamuis agnoſcãt omnes, Eccleſiam abſque pontificibus in indiuiduo ſubſiſtere (quod illius rationes duntaxat arguunt) vt Sixto, Clemente, Leone, Paulo quinto, qui nunc fœliciter ſedet, & vtinã diu: nõ tamẽ propterea generaliter & indefinitè verũ eſt, Eccleſiã poſſe ſine Põtifice ſubſiſtere. Aliter enim regnum Galliæ, Diœceſis Pariſienſis, & in ſummâ vniuerſalis Eccleſia abſque rege, paſtore & miniſtris ſtare poſſent, cum abſque particula-

In epiſt. nuncup. ad Regem Galliæ & Nauarræ.

ribus ſubſiſtant : ideóque docent Philoſophi numquã à ſingulis generũ ad genus ſingulorũ valere argumentũ, niſi omnes ſinguli abſq; vllius exceptione ſumantur. quod tamen author in negotio Eccleſiæ nunquam probabit. Semper enim aliquo Pontifice ad ſui gubernanationem indiget; ſaltem diu citra euidens periculũ eo carere non poteſt. Docent Theologi matrimoniũ & Sacerdotiũ mũdo & Eccleſię abſolutè eſſe neceſſaria : licet enim neceſſe non ſit hos aut illos in ſpecie coniugatos aut Sacerdotes eſſe, ſemper tamen ad illorum conſeruationem aliquos eſſe oportet. Pari ratione Pontifex Eccleſiæ abſolutè eſt neceſſarius, quia ſemper aliquo indefinitè ſumpto ad ſui moderationem indiget, quod citra ſchiſma imo hæreſim negari non poteſt. Sed duo leuiter prætereun-

In 4. diſt. 24. & 29.

da non ſunt: priùs eſt, quod Pontificem ſymbolicum caput vocet, quod idem eſt ac figuratum & ſimilitudinarium. quod ſi verum eſt, non magis Pontifex Eccleſiæ caput erit, quam pictus homo, verus homo. Poſteriùs quod eundē Pontificem appellet miniſteriale ſeu accidentale (pro eodem enim illa duo, vt apparet, ſumit) quod certè non tam erroneum eſt quàm ſchiſmaticum & hæreticum, cum enim de fide ſit Eccleſiam eſſe viſibilē, partes eius & præſertim caput debent eſſe viſibiles, alioqui mōſtrum erit, & monarchia contra inſtitutionem Chriſti viſibiliter acephala, quo fit vt ſtante Euangelij lege per extraordinariam potentiam, Eccleſia viſibili capite carere non poſſit. Nec vrgeat ſedem pontificiam aliquando vacare, & tamen Eccleſiam non deſinere. quia tempus va-

cationis breue eſt, & ideo moraliter loquendo nullum: & Eccleſia tunc eſt in viâ & ſtatu, ad ſibi de capite prouidendum, maximè cùm tempore vacationis, in ſtatu imperfecto Eccleſia verſetur. quandoquidem ſede vacante, vt iure cauetur, nihil innouari debet, nec decreta in fide & moribus fieri, Epiſcoporum collationes non expediri, nec alia plura ſimiliter perfici. Quamobrem tunc præceptum habendi Pontificem electores obligat, ita vt quādiu ſedes vacat, affirmatiuum eligendi præceptum, cum negatione quadam cōiungatur: ne ſcilicet & corpus ſit ſine capite, & Eccleſia ſine paſtore. ſicuti docent Theologi præceptum reſtituendi, quod affirmatiuum eſt, in negatiuo illo præcepto, *non furaberis*, fundamentum habere. quo fit vt opportuno quoque tempore

teneantur, caput ſiue Pontificem eligere Cardinales. Ex quo apertè conſequitur Eccleſiam non poſſe abſque capite ſubſiſtere.

Nam & compertum eſt ſedem Apoſtolicam aliquando tres, aliquando 7. annos vacâſſe. Pag. 5. N. 3.

O impudens mendacium. Fabiano mortuo vacauit ſedes per annum, vt ex D. Cypriano colligitur. Epiſt. 16. Marcellino obtruncato vacauit ſedes viginti quinque dies. verumtamen quia libro de pontificibus Romanis, ſub ementito nomine Damaſi inuenitur, ſedem ſeptem menſibus, Marcellino mortuo vacâſſe; quidam menſes pro annis ceperunt, & ſeptem annos vacationis effinxerũt. Sed hoc eſt apertum mendacium. primùm quia tunc nequidem ſeptem menſes vacauit, ſed tantùm viginti quinque dies. Deinde cum in pontificali di-

catur Marcellum Marcellini ſucceſſorem ſediſſe Conſtãtio & Galeno conſulibus, ſi ſedes ſeptem annos vacauiſſet, certe Marcellinus vtriſque extinctis ſedere debuiſſet; cum illi conſules quadriennio poſt Marcellini martyrium obierint. Tertiò etſi Genebrardus ſeptem vacationis annos recenſeat, iſtud tamen pro certo non affirmat dicit enim, *fertur* quòd ergo vt dubiũ reliquit doctiſſimus Genebrardus, Anonymus noſter cum Magdeburgenſibus in eundem certè finem ac illi, certò affirmauit. Anno 1241. Cæleſtino mortuo vacauit ſedes annum & octo vel nouem mẽſes. Anno 1268. poſt obitum Clementis quarti duos annos & nouem menſes. Anno 1303. mortuo Benedicto decimo annum aut circiter. Anno 1314. poſt obitum Clementis quinti, duos annos & ali-

In tábul. Chron.

quot menſes. Longior vacatio nũquam viſa eſt in Eccleſiâ, niſi fortè, contra rationem, author tempora ſciſmatum pro vacatione ponat. ſed tunc ad annos multò plures eam deberet extendere, cum quædam octoginta annos durauerint.

Enimuero canone aut conſilio Eccleſiam ſponſam gubernari voluit Dominus, quo Romani Pontifices abſque alijs Epiſcopis nihil quicquam magni momenti de proprio motu, aut oligarchici conſilij ſuaſione decernerent. Pag. 7. n. 5.

Oligarchia eſt paucorum factio Ariſtocratiæ, optimatum nempe regimini, oppoſita. Sed cui vnquã catholicorum venit in mentem cõgregationem aliorum quàm Epiſcoporum authoritate capitis roboratam, eſſe oligarchiam ſeu factionem? numquam eſt factio, quando adeſt ſuprema authoritas, ſumus in corpore, quandiu & vbi capiti iungimur.

Verum cùm Ariſtocraticum Eccleſiæ regimen penes ſolos Epiſcopos & Parœcos ſtatuat, Cardinalium venerabilem purpuram, & ſtatum nefario cõtemptu fœdat ac proterit, eorumq; cœtum tãquam Oligarchicum omnino damnat: quaſi grauiora negotia reſque maioris momenti, ab alijs quàm ab Epiſcopis aut Parœcis vel geri vel terminari nunquam debeant. Obiter tamen Anonymum admonuerim ex Alliacenſi, Cardinales eſſe de ordine hierarchico Eccleſiæ, ſtatumque Apoſtolorum conſiderari, primò vt Chriſto domino ante eius Aſcenſionem aſtabant. Secundò vt Petro tanquam primo paſtori ante diſperſionem ſuam aderant. Tertiò vt ex præcepto Chriſti poſtea à Petro ſeparati in omnem terram ad diſſeminandum Euangelium exierunt. In 2. & 3. ſtatu præ-

De auctо. Eccl. cap. 3.

erat eis Petrus, & quantùm ad primum & secundum statum, Cardinales Apostolos repræsentant, in hoc nempe quòd Papæ, qui est Christi vicarius, & Petri successor adsunt; non tamen quantùm ad tertium statum. In hoc enim soli Episcopi succedunt Apostolis; illudque, inquit, manifestè patet ex epistola ad Ephesios. vbi Paulus omnes Ecclesiæ status delineauit. statum enim Apostolicũ à pastorali, cui cura incumbit animarũ, apertè distinxit. *ipse dedit quidem quosdam Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij ad ædificationem corporis Christi* quod est Ecclesia, sicque tres distincti status inuicem subordinati, Corinthi Apostolorum tempore aderãt, Apollo tanquam Episcopus. Pau-

Ad ephes. 4.

Glossa in cap. 3. 1. ad Cor.

lus tanquam Apoſtolus. Et Petrus tanquam vtroque ſuperior; vnde dixit *omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus ſiue Apollo, ſiue Cephas*, malè ergo ſentit Anonymus Concilium natiuum Eccleſiæ duntaxat penes Epiſcopos reſidere, & Oligarchiã eſſe, cùm alij præter illos ad res grauiſſimas decernendas conueniunt: ad ſtatum enim Cardinalium (licet non ſint Epiſcopi) pertinet vnà cum Papâ regimen & ordinatio totius Eccleſiæ: Nec tamen ita pontifex Cardinalium Concilio alligatur, vt alios, ſi æquum iudicet, aduocare non poſſit: tum ad leges ſanciendas, tum ad dirimendas controuerſias, ad Epiſcopatus conferendos, & alia huiuſmodi munia præſtanda; ſatis enim eſt ſi doctos & prudentes viros, rerumque tractandarum peritos adhibeat.

Etenim

Etenim Presbyteri quondam Ecclesiam in commune regebant, vt D. Hieronymus auctor est Canone legimus, dist. 93. Pag. 8. N. 5.

Æquat hic Presbyteros animarum curã habentes Episcopis, *sunt*, inquit, *natiuum Ecclesiæ Concilium institutum à Domino; & cum ijs in commune Ecclesiam regunt.* In quo ex Epiphanio, lapsus est olim Aërius ab Ecclesià condẽnatus. Pro canone Hieronymi, si solutionẽ scholasticorum abnuit Anonymus, fateri eum oportet Episcopos solâ ordinatione, non iurisdictionis potestate, Sacerdotes præcedere: quod absque Aërianæ hæreseos notâ tueri non potest: ideóque tantùm hoc Canone Hieronymus voluit initio nascentis Ecclesiæ propter ministrorum paucitatem, omnes Presbyteros simul fuisse Episcopos, nõ quòd eadem esset vtriusque Sa-

Hæresi. 25. & 53.

In 4. dist. 24.

cerdotis nempe & Episcopi potestas, sed quòd ipsa singulis Sacerdotibus tunc daretur: quo sensu verum est Episcopos & Presbyteros in commune Ecclesiam initio rexisse, nullus enim tunc erat qui cum Sacerdotio Episcopatu non fungeretur. Alij respondent Hieronymum solùm velle in quibusdam Ecclesijs, Sacerdotes in communi potestatem regendi Episcopalem tanquam delegatam habuisse, & hoc sensu tunc in actu ipso regendi fuisse æquales; postea tamen occasione scismatum decretum esse, vt Episcopus Pastor ordinariùs solus hanc iurisdictionem haberet, nec amplius aliis communicaret. Sed quicquid sit de Hieronymo, quem paulò durius loquutum esse docent omnes; error est nunquam ferendus, in iurisdictionis potestate curatos Episcopis æquare: hi

enim ſoli Hierarchæ ſunt & Apoſtolis ſuccedunt; illi verò tantùm Diſcipulis 72. Hi ſoli in Conciliis generalibus, & Oecumenicis ſuffragio deffinitiuo gaudẽt, vt ex omnibus ſatis conſtat, ſolumque Baſilienſe excipitur, à quo cùm maior Epiſcoporum pars poſt Eugenij quarti depoſitionẽ ſeceſſiſſet, pauci qui remanſerant Epiſcopi, Preſbyteros contra Eccleſiæ morem ad ferendum ſuffragium ſecum aſciuerunt. Sed hoc Concilium pro beneficiorum pragmaticis tantùm recipitur: nec vnquã Pontificis calculo, qui ad Conciliorum firmitatẽ & valorẽ eſt neceſſarius, fuit cõfirmatũ. Diligenter tamen eſt obſeruandum varios pro varietate rerum in Cõcilium interdum adhiberi, vt ſi ſermo ſit de Eccleſiarum conſtructione aut reſtauratione, adhibentur latomi & cæmentarij, ſi de re-

Acta ipſius Concilij.

Gerſon de Poteſtate Eccleſiaſtica.

liquiarũ thecis, aut calicibus fabri ærarij vel aurifices, ſi de componendis litibus cauſidici, ſi de rebus fidei Doctores, ad examinandum; ſed ad ferendam deffinitiuam ſententiam, ſoli Epiſcopi: ſunt enim Iudices, & ſoli ſuas referunt Eccleſias: Parœci verò in foro externo quatenus Parœci, nullâ externâ iuriſdictione fruuntur, & hoc quidem adeò conſpicuum eſt, & clarum vt nullâ egeat probatione.

Pag. 8. n. 6. *Infallibilem poteſtatem decernendi aut condendi Canones eſſe penes totam Eccleſiam aut generale Cõcilium illam repræſentans*, & paulò poſt, *quandoquidem oculi quàm vnicus oculus longiùs atque acriùs proſpiciũt.* Et ſi Academia Pariſienſis infallibilitatem in decernẽdo ad Concilium generale ſolùm referat, ab eo tamen nunquã abeſſe debet Pontifex: ſi enim abſit infallibile non

erit : Concilium enim Ariminenſe in quo ſexcenti cõſidebant Epiſcopi, abſente Liberio ſummo Pontifice errauit, & ὁμοούσιον dãnans approbauit ὁμοιούσιον. Mediolanenſe ad quod conuenerant Epiſcopi pluſ-quàm trecenti, hæreſim Arrij confirmauit; & Catholicos Prelatos qui definitioni noluerunt ſubſcribere, in exilium relegauit : Sed quot & quanta à Donatiſtis Concilia in Africâ, cum ingenti Epiſcoporum numero celebrata ſunt, quę cùm legitimo Paſtorę & capite deſtituerentur, turpiter aberrârunt, & Anabaptiſmum confirmârunt? Putat Anonymus, vt ex alijs eius libellis conſtat, auctoritatem infallibilem Conciliorum à numero Epiſcoporum pendere : & hinc tanta eius contentio & conatus vt numeroſiſſimã Concilij Conſtantienſis multitudinem aſtruat. ſic enim

Theodor. li 2. cap. 13.

Anonym. in vita Gersonii initio

ait *Antipapæ præter regulos Apuliæ, Arragoniæ, Scotiæ, & comitẽ Armeniaci, nullos sui scismatis fautores habuerũt, & à propriis Cardinalibus tanquã perfidi & infames sunt relicti, vt historiæ omnes, & Platina ipse testatur in Gregorio 12. vnde si quinquepartitò vniuersalem Ecclesiam distribueremus, vix quintam partem duobus illis Antipapis, & reliquas quatuor Ecclesiæ partes Pisanum & Constantiense Concilium auctorâsse comperiemus: quod ad vniuersalis Synodi constitutionem plus satis esse diuina & naturalis lex comprobat.* hæc ille, sed inania verba. Quis enim vnquam à numero Prælatorũ Concilij infallibilitatem repetijt? Concilium Constantinopolitanũ 150. constans Episcopis propter confirmationem Damasi summi Pontificis, tanquam vnum ex quatuor Euangelijs à D. Gregorio ha-

Platina in vita Greg.

Dist 5. canone sicut sancti Euangelij.

betur & ſuſpicitur, & Ariminẽſe ex 600. cõſtãs reprobatur. Sciat ergo Cõcilium, quantũcumq; numeroſum, ſi Põtifice deſtituatur, eſſe imperfectũ, mutilum & fallibile; neque totam & vniuerſalem Eccleſiam repręſentare. Et vt nihil alicuius momenti relinquamus; profitemur ad Concilium generale non requiri præſentiam totius orbis Epiſcoporum, hoc enim moraliter eſt impoſſibile, ſed ſufficit conuocatio generalis in maioribus nempe Eccleſię Prouincijs. Secundò vt nullus Epiſcoporũ vndecunque ſit, excludatur, dummodò cùm ſede Apoſtolicâ cõmunionẽ habeat. Tertiò, vt ex maiori parte Chriſtianorum aliqui adueniant. Quartò, vt in eo per ſe, vel per ſuos legatos præſit Pontifex, & tũc tale Cõcilium eſt generale, & infallibile. Neque verò obijciat, cuicumq;

congregationi pro rebus religionis promissam esse infallibilitatē, iuxta Christi verba *si duo vel tres congregati fuerint in nomine meo in medio eorum sum*: facilè enim respondetur congregationem non esse in nomine Christi, quando contra, aut absque legitimo Pontifice celebratur, sicut, teste Augustino, *non est petere in nomine saluatoris, petere contra rationem, aut ordinem salutis, quæ à Deo sunt, ordinata, sunt & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

Matth. 18.

Augu. tract. 102. in Ioan.

Ad Rom.

Quandoquidem oculi, quàm vnicus oculus longiùs atque acriùs prospiciunt, ac nemini vni ne superbiret à Deo vel à Natura datum est, vt sapiat.

Pag. 8. n. 6.

Inepta est primùm falsóque explicata hæc ab Anonymo allata similitudo, plures quippè oculi non longiùs atque acriùs prospiciunt quàm vnicus, illi enim hu-

ius virtutem non intendunt, imo-verò neque, vt ex Philosophiæ oraculis constat, possunt intendere, deberent enim in organũ ipsius aliquid immittere, quod tamen nõ præstant, vt docet experientia. Secundò ex absurdâ illâ ac penitus infulsâ similitudine longè maior & deterior absurditas consequitur. Vult enim Pontificem, etsi agat vt Pontifex, priuilegio infallibilitatis in decernendo, non esse à Christo donatum: quæ propositio etsi expresè non pugnet contra fidem, cùm illud in nullo generali Concilio definitum sit, & plerique Parisienses qui idipsum defendunt, non fuerint ab Ecclesiâ propterea damnati; certius tamen multò est summum Pontificem isto infallibilitatis priuilegio gaudere. Ad cuius probationem (ne actum agam) tantùm proferre lu-

bet, quod habetur in summâ Conciliorum in vitâ & gestis Xisti quarti. Vbi refertur Petrum Oxonensem Clericum secularem, & doctorem Parisiensem ante centum annos in congregatione Cõpluti habitâ, per Archiepiscopum Toletanũ damnatum fuisse, quòd inter cætera assereret Romanã Ecclesiã, quam pro sede Apostolicâ, vt explicat Bannes, sumebat, in fide errare posse. Quæ condemnatio per specialem extrauagantem à Xisto quarto fuit confirmata, ita vt Doctor ille sententiam retractare, & palinodiam, vt aiunt, canere coactus fuerit, postquam eius libri cum cathedrâ in quâ docuerat publicè combusti fuissent. Secundò in errorum Malesoni refutatione Parisiis factâ ad calcem libri Sententiarum, habetur hæc prima conclusio. *Ad sanctam sedem Apo-*

Bannes in 2.2.q. 10. disp. de Ecclesiâ.

ſtolicam pertinet auctoritate iudiciali ſupremâ, circa ea quæ ſunt fidei iudicialiter definire, ex eo quòd, fides nunquam ex vi promißionis Chriſti Petro factæ poterit deficere. Tertiò, caput repræſentat totùm corpus, vt Rex integrum Regnum, Epiſcopus ſuã Eccleſiam, ergo Pontifex prout agit tanquam vniuerſalis Eccleſiæ Iudex & caput eodem infallibilitatis priuilegio quo corpus vniuerſum, gaudere poterit.

Ad iuſtam Eccleſiæ moderationem, non vnius tantùm Romani Pontificis, ſed trium aut duorum ad minùs conſenſum requiri. Pag. 10. num. 6.

Si per iuſtam illam duorum, aut triũ moderationem, vltimã dubiorum emergentium analyſin intelligat, peccat contra Facultatem Pariſienſem, quæ hanc ad Concilium generale refert: ſi gubernationem ſeu iuriſdictionem ſupremã, gra-

ter errat; si enim Pontifex non nisi cum duobus aut tribus legitimè Ecclesiam regat, status eius non erit Monarchicus, sic enim plures dominabuntur. in quo Anonymus Ponficis conditionem inferiorum Prælatorum conditione deteriorem reddit: hi enim suas Ecclesias per se, & innatam sibi prudentiá ita regunt, vt non nisi ad meliùs esse aliorum consilio opus habeant.

Pag.11. num.6. *Unum & solum Romanum Pontificem in Synodis generalibus decreta fidei non facere, & paulò post confirmatur* Canone *Maiores*. 24. q. 1.

Vmbrarum pugnæ, & Andabatarum certamina. Quis vnquam in Concilijs generalibus ius definiendi Episcopis ademit, & ad solum Pontificem transtulit? pręest quidem Concilijs, cùm ipsa sint ouile Christi, sed non propterea solus definit, vt ex veterum Conci-

liorum vſu apertè conſtat, quibus Epiſcopi tanquam definientes ita ſolent ſubſcribere, *Ego talis Epiſcopus definiens ſubſcribo.* Ratio eſt, quia ſunt Principes & Iudices ſuarum Eccleſiarum, quas ſoli in Concilijs repræſentāt, non minùs quàm Ordines in Regni Comitijs ſuas prouincias: vnde vt in ijs negotia publica à ſolis Ordinibus terminātur, & non ab alijs, etſi fortè peritioribus: ſic in Concilijs res Eccleſiaſticę ab Epiſcopis cum Romano Pontifice definiuntur & tranſiguntur. Sicut olim in veteri lege dubia in cauſis Religionis ad Concilium Deuteron.17. Sacerdotum referebantur, quorum definitioni accedente ſummi Sacerdotis ſententiâ quiſque tenebatur obedire. Ne ergo ampliùs ſuadere conetur, quod ſi Pontifex Concilijs præſit, ius definiendi Epiſcopis adimitur, & ad

eum omninò transfertur. Vnde perperam & falsò ad huius dogmatis confirmationem attulit Canonem *Maiores.* Nihil enim eius quod intendit eo canone ſtatuitur, ſed ſolùm non eſſe opus denuò Synodum congregari; quando iam in aliquâ fuit hęreſiarcha condemnatus, etiamſi poſtea illius hæreſim quidam amplectantur. Debebat Anonymus potiùs alios huius quæſt. Canones afferre præſertimque illos *manet ergo Petri priuilegiũ, vbicúmque ex ipſius æquitate fertur iudicium, nec nimia ſeueritas vel remiſsio, vbi nihil erit ligatum, aut ſolutum, niſi quod B. Petrus ligauerit, aut ſoluerit. Item, quoties ratio fidei ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris anctoritatem referre debere.* His ſubiungam confeſſionem Pelagij hæ-

24.q.1.

24.q.1. Can. manet ergo.

Ibid. Can. Quoties

resiarchæ ad Innocent. Papam, vt si auctor Anonymus Canones illos nolit admittere saltem Pelagij sententiam hâc in parte non recusset: *Hæc est fides*, inquit, *Papa beatißime; quam in Ecclesiâ Romanâ didicimus, quamque semper tenuimus & tenemus, in quâ si minùs peritè aut cautè aliquid fortè positum est, emẽdari cupimus à te, qui Petri & fidem & sedem tenes: sin autem hæc nostra confeßio Apostolatus tui iudicio comprobetur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.*

Habetur hic liber in Codice Vaticano.

Respondetur hanc Christi pollicitationem, fidem scilicet Petri non defecturam secundum literalem sensum ad solum tempus Dominicæ passionis extendi.

Pag. 12. n. 7.

Latet anguis in hâc herbâ. verba enim apertã hæresim referũt, iugis

ſiquidē Eccleſiæ traditio, & vnanimis conſenſus Patrum apertè docent hanc Chriſti Domini orationem, pro Petro & ſucceſſoribus eius intelligi. Auctor quæſtionum noui & veteris teſtamenti, *rogans*,

q. 75. inquit, *pro Petro, pro omnibus*, nempe ſucceſſoribus, *rogâſſe dignoſcitur*, ſemper enim populus in præpoſito aut corripitur, aut laudatur.

Com. in cap. 22. Luc. Theophylactus in hūc locū. *Quia*, inquit, *te habeo Principem diſcipulorum, confirma cæteros, hoc enim decet te, Qui poſt me Eccleſiæ petra futurus es & firmamentum*: Bernardus ad

Epiſtola 190. de erroribus Abaillardi. Innocentium. *Dignum arbitror ibi reſarciri fidei damna, vbi non poßit fides ſentire defectum. Cui enim alteri ſedi aliquando dictum eſt, ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua?* Proferam varios Pontifices, qui cum vel martyrio, vel ſanctitate clareāt, non parui ab authore, vt credo,

fient

fient: Lucius primus epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ & Galliæ. *Eccleſia Romana Apoſtolica eſt & mater omnium Eccleſiarum, quæ à tramite Apoſtolicæ traditionis nũquam errâſſe probatur, nec hæreticis deprauata nouitatibus ſucculuit, ſecundum ipſius domini pollicitationem, ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Felix primus epiſt. ad Benignum *Eccleſia Romana vt in exordio normã fidei Chriſtianæ percepit ab authoribus ſuis Apoſtolorũ principibus illibata manet, iuxta illud ego rogaui pro te.* Leo primus *Specialis cura Petri à Domino ſuſcipitur & pro fide Petri proximè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit, in Petro ergo omnium fortitudo munitur & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis cæteris cõparetur.* Agatho

Diuus Lucius Papa & martyr.

Felix primus Papa & martyr.

D. Leo ſerm. 1. de Aſſump.

Papa epiſt. approbatâ in 6. Synodo actione 8. *Eccleſia Romana numquam errauit à tramite Apoſtolicæ traditionis, quia dictum eſt Petro, ego rogaui pro te Petre.* & addit, *Sic Dominus fidem Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos meæ exiguitatis prædeceſſores feciſſe ſemper cunctis eſt agnitum.* Nicolaus epiſtola ad Michaëlem Imperatorem, vbi inter alia, dicit priuilegia ſedis Romanæ fore perpetua, quia dictũ eſt Petro, *& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Leo Nonus Epiſtola ad Petrum Antiochenũ, dicit Dominum pro ſolo Petro hîc rogâſſe, & ſubdit *quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petro non defecit, nec defutura creditur, in throno illius.* Et Innocentius tertius cap. Maiores de Baptiſmo & eius effectu, maiores

Nicolaus primus.

Leo Nonus.

Ecclesiæ caussas præsertim circa articulos fidei contingentes ad Petri sedẽ referendas intelligit, qui nouit pro eo dominum exorâsse, ne deficiat fides. Tãta tantorum virorum testimonia non nisi gnauiter impudens reijciet: quibus tamẽ apertissimè liquet contra ipsum, orationem Christi non solùm pro tempore passionis, sed pro vitæ D. Petri residuo, &, quod Anonymo minùs placet, pro omnibus illius successoribus efficaciam habuisse. Et certè si verum esset quod intendit Anonymus, parum fuisset efficax illâ nostri Seruatoris oratio: nam cùm D. Petrus nocte passionis, ad vocem vilioris ancillulæ ter Christum ore negauerit, tantùm profuisset oratio, vt fidem animo D. Petrus retineret, non autem vt eam exteriùs & intrepidè coram hominibus profiteretur; quod

multùm de illius efficaciâ detraheret: quandoquidem grauissimum D. Petri peccatum non impediuisset; quo fit vt simul erronea & noua sit auctoris Anonymi expositio: etsi enim Parisienses Doctores, vt Almainus & Gerson doceant Christum immediatè pro Ecclesia orâsse, mediatè verò pro Petro quatenus Ecclesiam, cuius caput futurum erat, repræsentabat; nullus tamen eorum vnquam eò deuenit, vt orationem hanc & promissionem infallibilitatis ad solum tempus Dominicæ passionis cum Anonymo restrinxerit. Sed hoc vnum sẽper auersatur ac refugit, ne scilicet dicat D. Petrũ Ecclesiam repræsentâsse, & in eo tanquam in Supremo capite fuisse contentam, ideóque nouam istam scripturæ expositionem non minùs temere, quàm falsò maluit obtrudere.

De auctoritate Ecclesiæ cap. 10.

Quamobrem hoc argumentum fallit à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Pag. 12, num. 7.

Supponit nos, ex eo quòd D. Petrus fidem tempore paſſionis interiùs conſtanti animo retinuerit, velle eum toto vitæ tempore, ipſam amittere non potuiſſe; cum tamen ex Patribus ante allatis, ſatis conſtet nos ſupponere infallibilitatis promiſſionem eſſe abſolutam nec ad aliquod tempus reſtringendam. Sed hoc ei condonemus, ex Antibellarmino hæretico reſponſionem hanc, ſicut & multa alia ſurripuit, cui nihil frequentiùs quàm vniuerſa argumenta quæ pro infallibilitate D. Petri eiuſque ſucceſſoribus fiunt, à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter fallere. Ex his nihilominus apertiſſimè cõſtat Anonymum in eâ verſari ſententiâ, D. ſcilicet Petrum exacto paſſionis tempore falli, & fallere

Ad theſim octauam de infallibili iudicio Pontificis.

potuisse, cùm pro illo tempore oratio Christi vim solùm habuerit: quòd certè ferri non debet, cùm non solùm contra vnanimem Patrum consensum pugnet, sed etiam naturam, & essentiam Apostolatus ominò euertat: eo enim ipso quòd Apostoli immediatā à Christo missionē acceperint, & Spiritusancto die Pentecostes repleti fuerint; neque in peccatum, neque in errorem ampliùs, in gratia scilicet confirmati, labi potuerunt. Nec cum Nouatoribus nostris vrgeat D. Petrum tāquam in veritate Euāgelij non ambulantem, à D. Paulo reprehensum fuisse: nota enim & cuique peruia sunt Catholicorum responsa, quæ ideo, vt & in gratiam breuitatis lubens prætermitto.

Pag. 12. num. 8. *Lege, quàm absoluto vnius imperio gubernari multò præstat: quoniam lex, instar Dei, amore, irâ, odio, aliјsque affectibus humanis caret.*

Quamuis in lege nulli esse possint affectus, cùm sensu, motúque careat, in eâ nihilominus multa sunt quæ illius excellentiam & dignitatem comparatione Regum & iudicum valdè imminuunt. Primùm enim cum quinque actus legis enumerari soleant, præcipere, prohibere, permittere, punire, & compensare, hi omnes à Rege & Iudice multò meliùs & perfectiùs, quàm à lege fiunt; tum quia ipsa est mortua, tum quia comiter monstrat viam, ostendens tantùm quid facto opus sit: at verò Iudex tanquam lex viua & animata ad actum omnia reducit, & applicat; tum quia quæuis legis efficacia pendet à Legislatore, cùm ipse eam condiderit; igitur ipse multò maiorem habebit efficaciam; cùm, *Propter quod vnumquodque tale & illud magis*. Secundò, tot sunt in lege inter-

pretationes & exceptiones, vt regulæ Lesbiæ, & plumbeæ, quæ in hanc & in illam partem inflectitur, conferri soleat: vnde si auctoritas Iudicis nō accedat, nullus ferè ex lege fructus referri poterit. Quid enim prosūt iura, si nō sunt qui iura tueātur. Scriptura, *lex est immaculata, præceptum lucidum, illuminās oculos*; vt sacræ literæ perhibent, & tamen, infinita propè sunt, fuerunt, & erunt de germano illius sensu dissidia. Nulla enim vnquam fuit tam peruersa hæresis, quæ non aliquod infidelitatis suæ testimoniū in Scripturâ effinxerit. Arriani 40. & amplius Scripturæ locos adducebant: Nouatiani multos: Pelagiani, quāplurimos: &, vt ad hæc nostra miserrima tēpora accedam, Christus Dominus corporis & sanguinis substantiam nobis legauit, his verbis, *hoc est corpus meum*, contra quæ

Psal. 17.

D. Aug. Epist. 62.

nihilominus tot exceptiones, tot interpretationes à Nouatoribus effictæ sunt, vt quatuor hæc verbula explicationes plus-quàm sexaginta patiantur. Apostoli duplex verbum γραφὸν καὶ ἄγραφον nobis reliquerunt. Concilia item varia olim sunt habita. Est-ne controuersiarum finis? Sed vnde? nisi quia hæretici ad solã legem mortuam prouocant, vt iudicium animatum Summi Pontificis, quantùm possunt, refugiant. Postremò Apostolorum tempore raræ fuerũt hæreses, imò nullæ, nisi fortè sub finem vitæ D. Ioannis, in quo Ebionitæ Ecclesiam vexare cæperunt: ratio verò nulla est alia, nisi quia tũc Ecclesia, non scripturâ, sed viuo Apostolorum oraculo regebatur. Ex quibus liquet satius esse Rege seu Principe, quam lege gubernari.

Sanct. repetit. de Euchar.

Dixi ab initio auctorem Anonymum in hæresim non esse prolapsum, nec, vt credo, prolapsurum; sed certè, cùm pertinaciter affirmat potiorem esse legis quàm Principis gubernationem, multa reliquit errorum semina, magnamque hæreticis ansam dedit vt scripturã iudicio Prælatorũ anteponant. Olim D. Hieronymi tempore lex scripta, sicut nunc, omnium fidelium, tam in Oriente quàm in Occidente manibus terebatur: Sed omnes iudicio & Cõcilio Damasi summi Pontificis gubernari malebant *iuuabã*, inquit, *in chartis Ecclesiasticis Damasum Romanæ vrbis Episcopum, in respondendo Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus, quæ ad illum in dies referebantur.* Hoc etiam in transcursu obseruauerim, Anonymum dum summi Pontificis auctoritatem conatur deprimere Re-

gum ſimul & Principum auctoritatem & dignitatem funditus euertere; cùm legibus potiùs quàm Regibus, illius iudicio, præſtet gubernari. Quod quám periculoſum & pernicioſum ſit, malim aliorum iudicio relinquere, quàm exaggerare pluribus. Nec dicat axioma iſtud eſſe Ariſtotelis, non enim propterea maiorem fidem meretur: imò verò cùm verba illa Ariſtotelis ſint auſteriora, Regiamque minuant dignitatem, miror quo pacto ſe ex Ariſtotele Maximam illam deprõpſiſſe aſſeruerit.

Galliarum Epiſcopi Nicolao Papæ ſcripſerunt decretales, & bullas Romanorum Pontificum nequaquam obligari, niſi Canonum diſciplinis, & Concilijs ante receptis eſſent conformes: Canone ſi Rom. & Can. omnia. Pag. 14. num. 8.

Quod pro conuellendâ fide præſtant nouatores, hoc pro euertenda

authoritate Papę facit Anonymus: vt enim illi veterum patrum ſcripta quibus omnino confodiuntur, eatenus duntaxat admittunt, quatenus cum ſcripturis ſanctis conformitatem habent. Sic Pontificũ decretales, & bullas non vult Anonymus recipere, aut approbare, niſi antiquis, & ante receptis Canonibus conformes videantur. Falſum hoc dogma, aliter quàm per falſum probare non poterat, quippe cum Canone *ſi Romanorum* quem in ſuæ ſententiæ cõfirmationem profert tantùm definiatur, decretales Romanorum Pontificum vim authoritatis habere; etſi in corpore quod Sanctus Iſidorus edidit non habeantur. *Aliter enim*, Nicolaus Papa, *reſcripta D. Gregorij & aliorum ſanctorum Pontificum, imo & ſcripturæ ſanctę, quę in corpore Iſidori non inueniuntur reijciendę eſſent,*

diſtinct. 19.

quo fit vt Galliarum Episcopi tantùm eo tempore dubitârint, an decretales quæ Isidori corpore non continebantur Canonum vim haberent. Videat lector, si hoc Nicolai responsum absque vllâ restrictione, quo asserit decretales vim habere, nō plus feriat Anonymum quàm ei faueat: quod ad Canonẽ *omnia* ita habet. *Omnia decretalia cunctorum prædecessorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus & Canonum sunt promulgata disciplinis, ita ab omnibus Episcopis & Sacerdotibus custodiri mandamus; vt si quid in illa cōmiserint, veniam sibi honoris deinceps nouerint denegari.* Vbi quæso extant verba vlla quæ significent non obligare Pontificis Canones, nisi sint cum antiquis conformes? Sed cur hanc conformitatem tantopere vrget Anonymus? non aliã sanè ob causam, quam vt inobe- 25. quæst. 1.

dientiam foueat, & patentem viam appellationibus continuis aperiat. neque eſt quod reſpondeat in hoc conſiſtere regimen Ariſtocraticũ; cùm illud ſit potiùs Anarchicum: Sic enim tota Prælatorum poteſtas quæ controuerſijs finem debet imponere, funditus euertitur.

Pag. 14. num. 8. *Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis Hincmaro nepoti ſuo reſpondet Decretales Pontificum epiſtolas quas ante Synodum Nicenam editas perhibent exiguæ eſſe fidei, propterea quod ſacris Canonibus non concordarent.*

Decretales quæ cum antiquis nõ erãt conformes ſupra impugnauit Anonymus, hîc ſui immemor antiquas & ante Nycenum Cõcilium editas antiquat, dicens eas *exiguæ eſſe fidei.* in cuius rei confirmationem, non aliud quàm ſciſmatici & verſipellis teſtimonium potuit excogitare. Hincmari nempe Rhe-

menſis, cuius & ſi principia laudabilia fuerint, non reſponderunt tamen vltima primis. Fuit enim Apoſtolicarum literarum falſarius, ſubreptione priuilegia quædam à ſede Apoſtolicâ impetrauit, contumax & rebellis mandatis Pontificis, excæcationis nepotis ſui viri laudatiſſimi & Epiſcopi Laudunenſis reus, ad modum Arrij decretalibus & Canonibus ſe obediturum fraudulenter promiſit, vt narrat Flodoardus, *eas*, inquit Hincmarus, Lib. 3. cap. 21. *decretales ſummorum Pontificum ſuſcipiendas dico & ſcribo, & ſacros Cõciliorum Canones cum decretalibus Apoſtolicis, ſed ex eiſdem Canonibus promulgatis & recipiendos & cuſtodiẽdos & ſeruandos ſicut ſupra oſtẽdi, profiteor*: Doloſè certè. Simul enim ſe eas recipere fatetur & diffitetur, cum videlicet reſtringit ad ea quæ in Concilijs ſancita & recepta erant

per antiquos Canones. Sed quid aliud insinuat Anonymus? Certè ipse secum pugnans idem negat simul & affirmat. Cæterum mirari satis non possum, cur cum centuriatorib⁹ Canones illos ante Nycenam Synodum editos *exiguæ fidei* vocat: cùm his vt iam ostẽdimus, variæ fuerint sopitæ & extinctæ hæreses, quæ certè iuxta hanc Anonymi doctrinam statim possent reuiuiscere. Sed rem vrgeamus. D. Clemens scripsit Constitutiones Apostolorum, quæ etsi inter scripturas apochryphas recenseantur, non desinunt tamen magnæ esse authoritatis & fidei. Sunt enim apochryphæ, id est, non Canonicæ; quòd minimè constet an ab Apostolis sint conscriptę. Testis eius rei est Epiphanius, *Apostolorum constitutio apud multos in ambiguo est* (id est, an sit Canonica) *sed non reprobata*.

Turr. lib. 2. contra Magdeburg.

Hæresi 70.

probata. Omnis enim regularis ordo, in ipsa habetur, & nihil est à fide adulteratum, neque à confessione, neque ab Ecclesiastica gubernatione & regula. Anacletus seriem Patriarchalium sedium instituit, quæ in Ecclesia vsque ad Patriarcharum Cōstātinopolitanorum ambitionē viguit. Victor omnes Asiæ Episcopos pro celebratione Pasche anathemate percussit. Et Stephanus de non rebaptisandis ijs qui ab hæreticis baptisati fuerant. Hęc multáque alia quæ in gratiam amicæ breuitatis omittimus, nō sunt, nec esse possunt exiguæ fidei. Sed quæso contradictionem Anonymi explicemus. Toto penè suo libello contendit facultatem edendi Canones penes generale Concilium residere, adeout pontifex executionem, interpretationem, & dispensationem eorum tantùm habeat. Hîc

Pontifica.e Rom. & Baron. ad An. 112.

Euseb. 5. cap 24 & 25. Baron. ad an. 199.

Vinc. lirinensis libro contra hæret.

Baron. ad an. 158.

verò docet decretales Pontificum ante Nicenum Concilium, quod omnium generalium primum eſt, ideo nullam vim habere quia ſacris canonibus non conſentiebant, At quis ſacros illos Canones ediderat, cùm nondum celebratum fuiſſet generale Concilium? Dicet forte ab Apoſtolis fuiſſe editos ſed quis neſcit Apoſtolorum Canones minorem ſemper in Eccleſia vim habuiſſe quàm alia pontificum decreta cũ à Gelaſio in numero apochryphorum recenſeantur, eorumque numerus valde incertus ſit, aliqui enim 70. alij. 80. alij vero interdum 50. duntaxat numerant.

Baron. ad an. 102. & Tur. lib. 2. contra Magdeburg.

Sextum, plenitudinem authoritatis Pontificię deffinit ad executionem, interpretationem, & diſpenſationem canonum, minimè verò ad inſtitutionem niſi per ſe, vel per legatos ſuos Concilio præſideat.

Pag. 15. num 9.

Lutheri, Caluini, Valdensium & Marsilij Paduani dogma *quo iure,* inquit Luther *Papa super nos leges constituit? quis dedit ei potestatem libertatis nostræ, per baptismum nobis donatę.* Antibellarminus Caluinista ex sententia suorum, *nostri,* inquit, *concedunt legitimos Ecclesiæ Pastores, siue potius ipsas Ecclesias* (notentur hæc verba) *potestatem aliquam habêre Dei verbum promulgandi, deque rebus externis siue ritibus adiaphoris aliquid constituendi;* & paulo post. *Sed nouas aliquas leges in conscientiâ verè obligantes, siue necessario ad fidem vel vitam Christianam pertinentes, ab Episcopis vllo diuino iure constitui posse negant: aut aliam cogendi potestatem, quàm quæ modo dicta est concessam esse, aut denique maiorem hac in parte Romani Pontificis quàm aliorum Episcoporũ authoritatẽ esse.* Id est ipsum, sicut nec cęteros Præ-

De captiuit. babyl. cap. de baptismo 4. instit cap. 10 § 12. Anton. part. 4. tit. 11 cap. 7 § 2 lib deffe- sorum pa is.

Thesi 12. de co...ctiua Po tificis potestate inferendis legibus.

latos poteſtatem condendi Canones habere. Quid autem aliud dicit Anonymus, cùm interpretationem, diſpenſationem, & executionem Canonum, non inſtitutionem Pontifici tradit, imò multò generaliùs Antibellarmino loquitur: quippe-qui pro diſciplinâ & ritibus Prælatis ſummoq; pontifici poteſtatem aliquã concedit, quod tamẽ Anonymus ei denegare videtur. Sed ſi vera eſt, hęc opinio, omnes quotquot ſunt hæreſes, ante primum Concilium damnatæ reuiuiſcent Marcionis, Manicheorũ, Nouatianorum, Helqueſetarum, Meſſalianorum, denique D. Cypriani error, cùm à ſolis pontificibus abſque generalibus Concilijs ſint dãnatæ, idque pręſertim, quod paulò ante ex Hincmaro decretales ante Nicenam Synodum exiguę fidei eſſe docuerit. Nulla ergo

aut ad ſummum exigua fuit illarũ hæreſeon condemnatio. Secundò ruent ſimiliter omnia alia Pontificum decreta, vt Damaſi, Leonis, D. Gregorij, Innocentij, Nicolai, quæ tamen Canone *ſi Romanorum* & Canone *omnia* tãtopere commendantur: quippe quæ ſine Concilio generali ſunt inſtituta. Tertiò hoc fuit initium Lutheri (pace Anonymi dixerim) qui à principio ſuæ ab Eccleſiâ defectionis decretaliũ corpus igni tradidit, eam ſolùm ob cauſſam, quia captiuitatem Babylonicam ſuo iudicio inducebãt, & nullius erant obligationis, quippe quæ editâ eſſent à viris defectũ poteſtatis quo nullus eſt maior habẽtibus, & propterea non eſſe quod tandiu membranas & terram ad inſtar infructuoſæ ficus occuparent. Quartò omnibus ſeculis Pontifices sũmi Canones Encyclicos per vni-

Diſt. 19. 25. q. 1.

Cocleus in vita Lutheri.

uerſalem Eccleſiam ediderunt. Leo quatuor leges omnibus Epiſcopis vbiuis locorum exiſtentibus impoſuit ſubiungens, *Si quis contra fecerit à ſuo officio ſubmoueatur*, quod à D. Gregorio & alijs ſimiliter factũ eſt, quo fit vt cùm generalem Eccleſiæ vſum negare inſolentiſſimæ ſit inſaniæ, authore Auguſtino, nõniſi inſolenter & falſò poteſtas illa inſtituendorum Canonum Pontificibus adimitur. Nec dicat aliud eſſe legem, & aliud canonem: & Pontificem quidem illam, non hũc condere poſſe: Hoc enim effugiũ eſt planéque inanis tergiuerſatio, quandoquidem nulla eſt inter vtrũque differentia, niſi quòd decreta fidei aut diſciplinæ Eccleſiaſticæ Canones dicũtur, decreta verò imperialia leges: Deinde cùm leges horũ Pontificum tomis Conciliorum & Decretorum corpori inſer-

Epiſt. 1. & 81.

Epiſt. ad Iannarium 118.

tæ ſint, non poſſunt non appellari canones.

Sed poteſtatem illam edendorũ Canonũ ſummo Pontifici eſſe debitam rationibus Theologorum demonſtremus. Eccleſia eſt Reſpublica vndiquaque perfecta ad imaginem triumphantis expreſſa, itaut nihil quod ad eius conſeruationem facit ei deeſſe debeat. Atqui ad optimam Reipublicæ gubernationem, præſertim vbi ſtatus eſt Monarchicus, ad ſuperiorem ſpectat ſancire leges, ijſque ſubditos adſtringere. Item lex à ligando deriuatur, atqui Chriſtus cùm Petro tum Apoſtolis poteſtatem ligandi dedit Matthæi 18. *Amen, amen dico vobis, quæcunque ligaueritis, &c.* Igitur & leges ferendi. Tertiò ex Anonymo Reges terræ *ad Eccleſię incolumitatem & Canonum Eccleſiaſticorum executionem leges* Pag. 12. num. 12.

ſancire, atque inter ſua edicta, codices, aut capitularia poſſunt inſerere. Igitur multo-magis Eccleſiæ Prælati & præſertim ſummus Pontifex. Vnde ſi Canones de nouo non poſſit condere, ſed veterum tantùm executionem procurare, non maiorem in Eccleſiam quàm Imperator vel Magiſtratus ſæcularis obtinebit auctoritatem. Quartò ex eodem authore Facultas Pariſienſis decreta quædam etiam in materia fidei, poteſt edere & cenſurâ in libros hæreticos, aut ad hæreſim accedẽtes animaduertere: Atqui Pontifex eſt eius ſuperior, neque hanc poteſtatem ab alio, quàm ab eo accepit. Igitur cùm *Propter quod vnumquodque tale & illud magis*, Pontifex decretorum & Canonum de nouo edendorum facultatem habebit. Maximè cùm à Sorbonæ decretis ad ſummum Pontificem locus ſit prouocationi.

Deniquecùm ſint duo Canonum genera,alij de fide,alij de moribus; hos credo author Pontifici nõ denegat.Cùm enim mores pro diuerſitate locorum & temporum varij ſint, & deſuetudine aut conſuetudine contraria antiquari ſoleant, maximum diſciplina Eccleſiæ diſpendium pateretur, ſi cùm raro & difficilè Oecumenica cogãtur Cõcilia, Pontifex de moribus nõ poſſet ſtatuere. Pro fide, etſi Pariſiẽſes ad Concilium generale vltimam eius analyſim referant, non tamen propterea poteſtatem de fide decernendi, Pontifici vnquã ademerunt, & meritò. Quæro enim ab Anonymo ſi nunc dubium in Eccleſiâ oriretur, an Euchariſtia eſſet latriâ adoranda, vel an vſus calicis populo neceſſarius & ſimilia, ſi Cõcilium Oecumenicum pro horum deffinitione expectandum eſſet, in

euidens errandi periculum tota cõ-
ijceretur Ecclesia cum Concilia per
centum, ducentos, aut interdum
trecentos annos non celebrentur.
Sed nec hodie ferè celebrari pos-
sunt, cùm Reges absentiam suorũ
Episcoporum, & eorum cùm exte-
ris conuersationem semper ægrè
ferant. Quamobrem nunquam
Parisienses & si à partibus Conci-
liorum generalium steterint, eò de-
uenerunt, vt potestatem edendi
Canones in materiâ fidei Pontifici-
bus ademerint. Quando Pontifex,
inquit Gerson, aliquid decernit,
nunquam contrarium est publicè
dogmatizãdum, nisi apertè (quod
de suo addit) constet de falsitate.
Supponit ergo eum posse de-
cernere, eiusque decretum obli-
gationem inducere. Almainus *vni
Petro & successoribus eius data est
potestas constituendi Canones*. Item,

in foro exteriori poteſt aliquid ſummus Pontifex præcipere, cuius transgreſsio erit peccatum mortale, quæ non eſſet excluſo tali precepto. Ad cuius confirmationem citat Gerſonem. Cap. 4. de poteſtate Eccleſiæ ſub finem. Robertus Cænalis libro de oblatis conditionibus ab hereticis, ait ad conſenſum fidei neceſſariam eſſe Pontificis Monarchiam, nec eam tanto odio ab hereticis habendam eſſe. Huc referri poſſunt, quæ de Petro Oxomenſi, & erroribus olim Pariſiis damnatis adduximus. Quinimo Conciliũ Conſtantienſe (cuius in omnibus Anonymus author noſter eſt acerrimus propugnator) bullam edidit quæ incipit *inter cunctas*, vbi bis repetit cenſendos eſſe hæreticos, qui aliter ſentiunt de Euchariſtia, & cæteris ſacramentis ac fidei articulis, quàm ſancta Romana Eccleſia ſentit, & docet, quo loco Romana, vt Tomo 3. Conciliorum.

docet Bannes, pro ſede Apoſto-
D. 2. q. 1. art. 10. licâ vſurpatur. Cæterum non tantùm cum veritate pugnat Anonymus, ſed ne-quidem cum ſeipſo conſentit. Ait enim Pontifici interpretationem Canonum iure competere, quod cùm de interpretatione priuatâ non intelligatur, de publicâ & iudiciariâ debet intelligi. Atqui hæc interpretandi facultas eſt tantùm penes ipſius legis authorem, cuius enim eſt legem condere, eiuſdem eſt eandem interpretari. Codice de legibus leg. *Sacratiſſimæ. Si quid in legibus latum fuerit obſcurius, oportet ab imperatoris interpretatione patefieri*, & lege ſi *Imperialis. Si enim leges condere ſoli eſt conceſſum Imperatori, & leges interpretari, ſolo dignum Imperio* vnde cùm ex Anonymi opinione iuridicè Pontifex Canones interpretetur, eoſdem etiam inſtituere, & cō-

dere poterit. Neque vnum ſine altero, aut vtrumque ſimul citra hæreſim poterit ipſi denegari.

Lapſu demum temporis, cum omnes Chriſtianę nationes ſummis ignorantię tenebris conſopirentur, abſolutam authoritatem omnia decernendi collegerunt, præcipuè à Gregorij VII. temporibus, cuius vitam. &c. Pag. 16. n. 9.

De fide eſt in Eccleſiam non ſolùm in Concilio congregatam, ſed diffuſam vbique terrarum, ſummam & craſſam ignorantiam qualem hîc depingit Anonymus, non poſſe cadere. Ioannis enim 14. & 15. Chriſtus promiſit ſpiritũ qui maneat cum eâ in æternum, & doceat eam omnem veritatem: reſpõdebit fortè ſe de ignorantiâ rerum ad ſalutem pertinentium non loqui, ſed de aliâ quæ tãtum eſt reſpectu Eccleſiaſticæ diſciplinæ. at quàm abſurdè hoc dica-

tut hinc patet, quòd diſciplina Eccleſiaſtica per quam mores inſtituuntur & formantur ad ſalutẽ hominum pertineat: cùm experientiâ conſtet morũ deprauationem proximam eſſe ad errorem diſpoſitionem. *Neque error peccatum*, vt do-
D.Cypr. cet Cyprianus, *ſed potius peccatum*
D.Aug. de vera relig.ca.8. *errorem gignit: Nec ex aliis hominibus fiunt hęretici, quàm ex ijs qui ſi in Eccleſiâ permanſiſſent nihilominus perijſſent.* Item, *fides ſola ad ſalutem non eſt ſatis niſi cum charitate boniſque operibus coniungatur; fruſtra enim*
D.Bern. *quis ſibi de ſolâ fide blanditur, qui bonis operibus non ornatur*: Cum ergo boni mores ad ſalutem ſint neceſſarij, & hi per diſciplinam Eccleſiaſticam habeantur & conſeruentur illius ignorantia non poteſt nõ eſſe Eccleſiæ perniciosiſſima, ideoque falſum eſt, & hæreſim ſapiẽs totam Eccleſiam à Gregorij ſeptimi tem-

poribus eâ ignorantiâ in ſummo gradu, vt ait Anonymus laborâſſe. Cæterum hîc omnibus Pontificibus qui poſt Gregorium illum Eccleſiam gubernarũt, grauem infert iniuriam; dum tyrannicè & abſolutè ius omnia decernendi ſibi vſurpâſſe comminiſcitur, cùm tamen multi ſanctiſſimi Pontifices ab eo tempore in Eccleſiâ floruerint Innocentius 3. Eugenius 3. Celeſtinus 5. & alij. Pro Gregorio ſeptimo duo illi maximum odium conflauerunt: renouatio cœlibatus ſacerdotum qui ſuo tempore varijs in locis minimè obſeruabatur, & abdicatio Hẽrici 3, aliàs 4. à cuius fautoribus nulla non conuitia paſſus eſt. Sed Catholici ſcriptores ſynchroni optimum & ſanctum eum nobis exhibent Monachum nempè Cluniaci Profeſſum, de rebus Eccleſię impensè ſollicitum Ponti-

Micrologus cap. 14. Leo Oſtienſis lib. 3. cap. 14. & Baro. ad an. 1085.

ficem voce generali populi acclamatum, iurium ſedis Apoſtolicæ defenſorem magnanimum, miraculis tam in vitâ quàm poſt mortem clarum, & in album ſanctorum ſtatim ab obitu relatum: Ne itaque vnum Onuphrium Pontificibus plus æquo infenſum tantis ſcriptoribus Anonymus anteponat.

Eccleſiam ſumptam pro cœtu fidelium, vnico ac ſolo capite eſſentiali ac fundamento Chriſto eſſe contentam, nihilominus in ratione exercitij atque executionis, regiminis à duobus Pontifice ſcilicet & politico Principe gubernari.

Pag 16. num. 10.

Modum iſtum loquendi quo pernicioſa trahitur conſequentia, nẽpe Ponficem non fore Eccleſiæ neceſſarium, iam ſatis exploſimus vnicum hîc reſtat animaduerſione digniſſimum: cùm enim dicit Anonymus

nymus Ecclesiam sumptam pro cętu fidelium vnico ac solo capite essentiali Christo Domino contentam esse, Pōtificem supremum Ecclesiæ esse superfluum videtur adstruere: Quorsum enim dicit contentam esse eo solo capite? Si contenta est, ergo Pontifex est omnino superuacaneus. Quod sine impietate sustinere non potest. Vnde, quamuis Christus per potestatem quam vocant excellentiæ, absque alicuius auxilio Ecclesiam possit regere nihilominus voluit homines ab homibus gubernari, non minùs quam inferiores Angelos per superiores; tùm vt potentia sapientia, bonitas, & cæteræ aliæ eius perfectiones in eâ superiorum & inferiorum distinctione magis relucerent, tum vt magis edomaretur hominum superbia, quando nempe ab alijs sibi in naturâ simi-

libus gubernãtur, & ſic in ſcripturâ obſeruamus ſpiritũ Prophetarum Prophetis ſubiectũ eſſe debere. Po-
In 4. diſt 2. teſt quidem, Deus vt notant Theologi homines abſq; ſacramentis iuſtificare, cùm virtus diuina non ſit his alligata: Quis tamen Catholicorum audebit affirmare homines contentos eſſe redemptione Chriſti, & ſacramenta ad ſalutem eſſe ſuperuacua? Dicamus ergo ſtante lege Euangelij Eccleſiam non poſſe propriè dici vnico ac ſolo capite Chriſto Domino contentam; Alias enim contra ſuam naturam eſſet corpus informe & monſtruoſum. Cæterum non minùs eſt reprehendendum quod ait Eccleſiam ſumptam pro cœtu fidelium ſeu republicâ Chriſtianâ à Pontifice, & Principe politico gubernari. primùm, quia in neutro canone id expreſsè habetur. in prio-

re enim tantùm dicitur mundum non Ecclesiam à duobus differenter gubernari : in posteriore principibus quidem incumbere, tueri Ecclesiam non tamen regere. *Palatia Regum sunt, templa vero sacerdotum. Imperatores huius seculi sciāt se Pontificibus subesse non præesse.* Secundò quia vt planius ex infra dicendis constabit, differentiam regiminis Ecclesiæ inter pontificem & principem statuit in eo quod ille in internis conscientiæ motibus, & eis quæ ad animam immediatè referuntur totus occupetur: Princeps vero politicus exteriorem Ecclesiæ disciplinam præscribat:quod certè integrā Prelatorum iurisdictionem euertit. Pag. 17. num. 11

Quæ, nempe arma, nempe excommunicationem, olim absque consilio & moderatione Aristocraticâ Presbyterij non licebat distringere. Idque inquit Pag. 17. num. 11.

natura regiminis Aristocratici postulat.

Hoc profectò temerarium, erroneum, Prælatisque iniuriosum. Temerarium, quia sine lege & teste saltem omni exceptione maiori asseritur. Quinimo pugnat contra Gersonem & Almainum, qui absolutè & sine vllâ conditione Prælatis & summo Pontifici potestatem ferendi excommunicationes etiam latæ sententiæ, vt vocant, tribuunt, illudque patet, 1. quæst. 1. de quodam qui ediderat libellum famosum. Vbi D. Gregorius motu proprio sine vllo consilio Aristocratico dixit, *nisi talis confessus fuerit, ipsum priuamus perceptione corporis & sanguinis Christi Domini, & si sumat à corpore Ecclesiæ sit diuisus.* Erroneum, quia pugnat contra communem omnium Catholicorum sensum, qui hanc ex-

Libris de potestate Eccle. cap. 4.

1. qu. 1.

communicandi facultatem abſo-
lutè Pontifici & Prælatis tribuunt,
vnde Canone *duo ſunt*, refertur
Ambroſium non tamen vniuerſa-
lis Eccleſiæ Epiſcopum, pro culpâ
quæ aliis Sacerdotibus non adeo
grauis videbatur, Theodoſiũ Im-
peratorẽ ab Eccleſiâ excluſiſſe. Vbi
notandum eſt D. Ambroſium eum
excluſiſſe non ſolùm ſine Ariſto-
cratico conſilio, ſed etiam contra
illud. Prælatis denique & Pontifici
iniurioſum, quia indies pro caſibus
occurrentibus monitoria abſq; Pa-
rœcorum conſilio, quos Diœceſis
optimates putat Anonymus, decer-
nũt. Quâ in re ſibi pro more ſuo cõ-
tradicit author. Nam excommuni-
cationis arma ad executionem Ca-
nonum ſpectant, atqui Canonum
executio ad ſummum Pontificem,
& ad Prælatos pertinet; igitur &
diſtrictio horum armorum. Venit

certè mihi in mentem iſta paulò attentius conſideranti conſilium Ariſtocraticum, quod ipſe pro his armis diſtringendis poſtulat, eſſe vel Principem, aut ſecularem magiſtratum: nam pluribus locis ſtatuit Principes eſſe executores Canonum, & ad eos Conciliorum congregationem ſpectare, atqui excommunicatio abſque Concilio Ariſtocratico ferri minimè poteſt, ergo nec ſine principis aut magiſtratus ſecularis authoritate, quod certè dignitati & officio Prælatorum & Pontificis maximè eſt iniurioſum: & quamuis hæc recepta ſit in Galliâ conſuetudo, vt ad inſtantiam ſecularis magiſtratus pro rebus occultis excommunicationes decernantur; non tamen ſequitur Prçlatos ſine Principe, aut Magiſtratu ſeculari vllas ferre poſſe. Experientia enim illud luculenter do-

cet. concludamus ergo Prælatis ſpiritalium armorum diſtrictionem ſiue vſum ita competere, vt per ſe abſque Ariſtocratico conſilio Parœcorum ea poſſint diſtringere.

Ioann. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Lucæ 9. *Vulpes foueas habent, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. Quod idem eſt ac ſi perhiberet Eccleſiam, neque territoriũ, neque ius gladij, &c.* Pag. 17. num. 11.

Quis iſta legendo non facilè inferet authori fuiſſe in animo, ab Eccleſiaſticis bonorum poſſeſſionem adimere? erat certè ipſiſſimũ Meſſalianorum, Bohemorum, & pauperum de Lugduno argumẽtum, qui cum Chriſti, & Apoſtolorum paupertatem Pontifici Prælatiſque opponerent, eos ne quidem ſuorum bonorum vſufructuarios eſſe iactabant. Scio equidem authorẽ de eo minimè cogitaſſe, quippe-cũ

non ignoret dogma hoc fuiſſe à Concilio Conſtantienſi damnatum; nihilominus id ex verbis eius poteſt inferri. conficiamus enim, quæſo, ſyllogiſmum. Regnum meum non eſt de hoc mundo, aut vulpes foueas habent; filius autem hominis non habet vbi caput reclinet: atqui Eccleſiaſticis, non conuenit aliud regnum quàm quod Chriſtus in mundo habuit: ergo nihil habent aut habere debent in mundo, ne quidem vbi caput reclinẽt, quod eſt hæreticum, & Cõcilio Conſtantienſi repugnans. Sed mittamus iſta, de ſpiritalibus enim non de temporalibus noſtra eſt inſtituta diſputatio.

Narrant optimum Principem Pag. 21. num. 12. *Conſtantinum ſic Epiſcopos affari conſueuiſſe, vos intra ego autem extra Eccleſiam, à Deo Epiſcopus conſtitutus ſum.*

Mendacium putidum. Euſebius rem totam fideliſſimè deſcribit. Cum Conſtantinus Epiſcopos in Aulâ Regiâ conuiuio excepiſſet, & ſermo incidiſſet de templis infidelium edicto eius occluſis & prophanis eorumdem ritibus prohibitis, Epiſcopos ita affatus eſt. *vos eſtis Eccleſiæ Epiſcopi, ego vero exteriorum ſum Epiſcopus, à Deo conſtitutus*; vbi notum eſt per exteriores, paganos intelligere, opponit enim exteriores, Eccleſiæ, ſeu congregationi Chriſtianorum, quaſi diceret Epiſcopos eſſe Chriſtianorum Epiſcopos. Se autem gentilium qui ſunt extra Eccleſiam. Deinde ex Euſebio, Conſtãtinus nondum tunc Baptiſmum ſuſceperat (quamuis contrarium ſit probabilius) atqui Baptiſmus eſt ianua ſeu fundamentum totius iuriſdictionis Eccleſiaſticæ; adeout

Lib. 4. de vita Conſtant. chron. 23. & 24.

Baron. ad an. 424.

catechumenis nullo planè modo cõueniat:tum quia nondũ ſunt de Eccleſiæ corpore,ſed de animâ tantum Eccleſiæ vt loquuntur, tum quia cum Sacerdos Miſſæ ſacrificium incipit è templo exeunt. Non poterat ergo tunc Conſtantinus myſteria,ceremonias, necnõ ea quę ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectãt cognoſcere,multò minus de eis leges ſancire, quod tamen vult aduerſarius, in quo grauem tanto Imperatori infert iniuriam, quod ſcilicet vel Neophytus iuxta communem ſententiam aut Cathecumenus tantùm ſecundum Euſebium diſciplinę Eccleſiaſticę ſe immiſcere pręſumpſerit, contra ea quę coram patribus Nyceni Concilij publicè eſt proteſtatus *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iu-*

Ruffinus lib. 1. cap. 2.

dicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari: propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium, & veſtra iurgia quæcumque ſunt ad Dei reſeruentur examen; vos autem nobis dati eſtis dij, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt Deus ſtetit in Synagogâ Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Psal. 81. Quę apertè imposturam Anonymi oſtendunt; Conſtantinum nempe nunquam ſe Eccleſiaſticę diſciplinę Epiſcopum, ſed exteriorum ſcilicet gentilium Epiſcopum haberi voluiſſe.

Quibus benè perceptis, facile eſt videre, & quo ſenſu Optatus Mileuitanus aſſerat Eccleſiã eſſe in Republicâ, tanquam in alieno fundo, & territorio, ac dominio. Pag. 21. num. 12. Optati Mileuitani tempore, Imperium Romanum nõ tantùm Chriſtianos, ſed etiam Gẽtiles complectebatur, qui dignita-

tibus & honoribus, vt & Christiani gaudebant, & qui fortassè Christianos multitudine superabant. Nam etiamsi Constans, de quo sermo est apud Optatum, Constantini fidem sequeretur, nec ab eâ, vt frater eius Constantius, desciuisset: multi tamen Gentiles eius Imperio parebant; ideoque cùm Christiani partem tantùm imperij eo tempore constituerent, meritò tunc dici poterat Ecclesiam in Republicá tanquam partem in toto residere, præsertim cùm eo tempore longiùs latiúsque diffusum esset imperium, quàm Ecclesia. Iam vero, cùm adimpletum sit illud, *& adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: vnum & idem sunt Ecclesia & Respublica Christiana. Quid enim, quæso, est Ecclesia, nisi

Contra Parmenian. pag. 185.

Psal. 2. & 71.

cœtus fidelium? & quid iam Respublica, nisi pariter cœtus fideliũ? cùm omnes illius partes, Rex nẽpe & subditi, colla sua Christo summiserint, & Euangelio nomen religiosissimè dederint. Non potuit igitur Anonymus nisi malè feriatus, & Ecclesiæ infensus asseuerare, Ecclesiam esse in Republicá: quasi verò hæc multò latiùs pateret, & nonnullos contineret qui Christianæ Religionis mysteriis non essent initiati. Vnde turpiùs adhuc lapsus est, cum asseruit Ecclesiam in Republicâ esse, tanquã in alieno fundo, & territorio: ex hoc enim apertè sequitur, quòd cùm Dominus fundi leges alteri ex iure præscribat, Reges & Principes, in quorũ territorio est Ecclesia, leges ipsi Ecclesiæ posse pręscribere, non tantùm pro temporalibus, de his enim certò constat, sed pro disciplinâ

Ecclesiasticá, vt Concilia generalia indicere: hoc enim statim subiungit Anonymus, causas Clericorum cognoscere, iudicare, leges pro Ecclesię negotiis sancire, quæ profectò si præstarent Principes, falcem in alienam messem viderentur immittere. Quod vt refellam, tantùm referam illud Athanasij Epistolâ ad solitariam vitam agentes, vbi narrat Osium Cordubensem, cùm Constantius sibi potestatem hanc arrogaret, & iniquissimè vendicaret, dixisse, *Quis videns eum in decernendo, Principem se facere Episcoporum & præsidere iudicijs Ecclesiasticis, nō meritò dicat illum eam-ipsam abominationis desolationem esse, quæ dicta est à Daniele Propheta?* Quod autem Optatus nunquam voluerit Ecclesiam esse in Republicá, vt in alieno fundō, satis ex consequentibus videre est, siquidem dicit eam

esse in Republicá, vt Sacerdotium, virginitas, & pudicitia erant in Romano Imperio: atqui fuisset admodùm iniuriosum Imperio dicere has virtutes morales in imperio tã-quam in alieno fundo fuisse, cùm Romani inter omnes alias nationes iustitię essent obseruantissimi, & eâ de causá, auctore Augustino, totius orbis dominatum à Deo cõsequi meruerint. Voluit ergo Optatus, virtutes esse in imperio tanquam decus & ornamentum maximum illius: sic & Ecclesiam esse in Republicá, tanquam proprium & præcipuum illius ornamentum quo exornatur, conseruatur, & extenditur.

Et iure-ne an iniuria olim Christiani Principes Nycenam, Constantino politanam, Ephesinam Chalcedonensem atque alia concilia generalia coëgerint: hoc enim ad legis Diuinæ, na- Pag. 22. num. 12. Notetur hîc Anonymi Soloecismus.

turalis, & Canonicæ executionem ſpectat.

Hæreſis manifeſta. nihil ſanctius & diuinius, & quod magis poteſtatem iuriſdictionis Pontificiæ arguat, quàm Concilia Oecumenica: eorum tamen conuocationem & indictionẽ noſter Anonymus cum Luthero, Caluino & cæteris hæreticis ad Principes refert. Idque, inquit, quia *hoc ad executionem diuini naturalis & Canonici iuris ſpectat.* Verùm tantum abeſt vt hoc prædictis iuribus ſit conforme, quin potius omnino repugnet. Diuino quidem, quia Matthei 18. nunquam eſt legitimum Concilium niſi ſit in nomine Chriſti coactum, id eſt ab eo qui eius vices gerit nempe Pontifice: Chriſtus enim aſcendens in cœlum Eccleſiam ſuam Petro in littore piſcanti, non Tiberio Romæ imperanti

De Concil. pag. 58. lib. 4. Inſtitut. cap. 7. §. 8.

D. Ioan. cap. vlt.

imperanti gubernandam commisit: Naturali quia vtriusque imperatoris scilicet & Pontificis Imperium diuisum est, nec vnus alterius fines debet occupare aut inuadere; Pontificis autem fines Imperator inuaderet, eiusque iura violaret, si Sacrorum Conciliorum conuocationem sibi arrogaret; sed præterea frustra laboraret, nunquam enim posset omnes totius orbis Episcopos conuocare, quippecum Ecclesia multò latiùs imperio pateat, minusque est, vt ait D. Leo, quod Romæ bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit. Iuri item Canonico apertè contradicit, vt liquido constat ex varijs Pontificum & Conciliorum decretis; Marcelli martyris prohibentis synodos generales absque suâ licentiâ fieri. Iulij Pontificis obiurgantis orien-

Homil. in natu. Apost.

Epist. ad Episc. Antioch.

Socrates 2.hiſt.cap. 27. tales Epiſcopos, quod ipſum ad Concilium non vocaſſent, cum Eccleſiaſticus canon iubeat, ne abſque ſententiâ Romani Pontificis, Canonici conuentus habeantur. Act. 1. Concilij Chalcedonenſis, vbi dicitur nunquam licuiſſe, nec contigiſſe, vt Concilium ſine conſenſu ſummi Pontificis indiceretur. Itaque etſi legamus quoſdam Imperatores interdum aliqua conuocaſſe, Ruff. 18. hiſt. cap. 1. Epiſt. Martiani ad Leonē. vt Cōſtantinum, qui Nicenum, & Martianum qui Chalcedonenſe coëgit & alios quoſdam; id tamen nunquam feciſſe abſque authoritate aut conſenſu ſummorum Pontificum certo certius eſt. Concilium enim Nicenum non à ſolo Conſtantino, ſed à Syluestro aut Iulio indictũ eſt, vt expreſsè habetur 6. Synodo act. 16. quod clariſſimè annotat Ruffinus cum ait Cõſtantinum illud conuocâſſe ex ſen-

tentiâ ſacerdotum; Secunda etiam Synodus nẽpe Cõſtantinopolitana, indicta eſt à Damaſo ope Theodoſij Imperatoris ex Theodoreto: Epheſina à Cœleſtino cui⁹ legatus fuit Cyrillius Alexandrinus, vt conſtat ex epiſtolâ Cœleſtini ad Cyrillum. Quarta denique nempe Chalcedonenſis, à Leone 1. ex epiſtola Martiani Imperatoris, vbi gratulatur Leoni, quòd Concilium neceſſarium iudicârit, vnde Leo Põtifex ita loquitur, *literas dedimus ad fratres & Coëpiſcopos noſtros, ijſque Concilium generale indiximus.* Rationes autem ob quas ſummi Pontifices authoritatem Imperatorũ illis tẽporibus interponerẽt, hæ fuerunt. Prima, vt Epiſcopis Imperatoriâ authoritate fultis nullum ab ethnicis in itinere crearetur periculum. Secunda, vt publicis ſumptibus tranſueherentur: Tunc enim Epiſ- Theodoret. 5. hiſt. cap. 9.

copi magnâ paupertate premebantur, nec poterant tantos sumptus sustinere ex Theodoreto. Tertia quòd ciuitates in quibus commodè poterat celebrari Concilium subditæ essent Imperatori. vnde absque illius consensu generales conuentus haberi non poterant: vt neque hoc tempore in vllâ ciuitate absque consensu Principis possent celebrari: cùm generales conuentus Principibus suspecti habeantur. Denique etiamsi Imperatores interdum authoritate propriâ Concilia congregarent, ius tamen propterea ad illa conuocanda sibi acquisiuisse nõ est existimandum, hoc enim ex cõsensu Pontificũ fecerunt: quæ autẽ ab aliquo cum alterius consensu fiunt nullum plane ius proprium illi tribuere possunt. Quis enim dicet, vt exemplum domesticum producamus, Carolo

quinto in regnum Galliæ vllum ius fuisse quæsitũ? cùm Franciscus primus Galliæ Rex edixit vt in omnibus Galliæ ciuitatibus per quas iter haberet claues illi à ciuibus offerrentur, vt lites omnes decideret, extremóque quod aiunt, statuto terminaret, atque etiam capitali supplicio condemnatos regiâ authoritate absolueret, & pro arbitrio indulgeret. Hæc enim cùm Rege volente ac consentiente fierent, nullum plane ius Gallicanæ Monarchiæ in Carolum quintum trãsferebant. Sic sane licet Imperatores olim Cõcilia generalia coegerint quia tamen id volente, consentiente, approbãte summo Pontifice præstabant, nullum propterea proprium ius ad ea conuocanda sibi potuerunt acquirere.

Nam Ecclesia per & propter Christum, Petrus autem per & propter Pag. 24. num. 24.

Ecclesiam, sicut oculus per & propter hominem subsistit.

Quod de summo Pontifice antea falsó & temere pronuntiauit, nunc de D. Petro pronuntiat, eum scilicet esse per Ecclesiam. Quod tamen non minùs quàm alterum facilè refellitur: Ecclesia enim D. Petrum non elegit, neque vnquam illi dixit, *pasce oues meas, aut tibi dabo claues regni cælorum,* sicut fecit Christus, ergo ab eo non ab Ecclesiâ est electus. Forte dicet cum Almaino Christum, in electione D. Petri Ecclesiam præuenisse, quandoquidem si nō fuisset ab eo electus, infallibiliter post ascensionem eum erat electura. Sed hoc gratis & absque ratione dicitur. Quis enim primò Almaino reuelauit euentum illum conditionatum? quòd nempe infallibiliter Ecclesia D. Petrum elegisset, ma-

Ioan. vlt. Matth. 16.

De authoritate Eccl. c. 8.

ximè cum rationes dubitandi multæ ſint. D. enim Andreas erat D. Petro ætate & vocatione ſenior: D. Ioannes diſcipulus vnicè à Chriſto dilectus, & cui reuelata fuerant ſecreta cœleſtia: Iacobus Alphei erat frater Domini. Ideoque ſi Chriſtus non elegiſſet D. Petrum, fortaſſe hos aut alios in electione ei prætuliſſent. Dicamus ergo D. Petrum eſſe quidem propter Eccleſiam, vt præmonuimus, non tamen per Eccleſiam, ſed per Chriſtum à quo claues regni cœlorum immediatè accepit.

Ioan 1. & vlt.

Qui contrariam ſententiam, id eſt abſolutam Papę poteſtatem ſequũtur, primò ſtatum Eccleſię cum eius regimine confundunt.

Pag. 22. num. 14.

Sibi profectò non conſtat Anonymus, nec quid ipſe velit ſatis perpectum habet: ſtatum enim & regimen vt res multùm diuerſas hîc ſe-

parat & distinguit, cum tamen statum prout à regimine distinguitur non possit definire. Necesse enim est statum esse potestatē aliquam supremam, quæ cum ad actum gubernationis necessariò, & per se referatur, non potest non esse regimen: aut si non sit potestas, erit inanis & otiosus quidam titulus, nullius iurisdictionis per se exercendæ capax. Respondebit forte statum esse id à quo tantùm vnitas, & ordo Reipublicæ petitur, non autem gubernatio, seu potestas iurisdictionis in alios; vt videre est in Republicâ Venetorum in quâ Dux licet sit omnium primus, per se tamen nullam habet potestatem, aut iurisdictionem in alios, sed tantùm cum optimatum seu Patriciorum consilio: & hoc est quod præcipuè toto suo libello intendit Anonymus, Pontificem nempe esse in Ec-

clesiâ, quod Dux ille est in Venetorum Republicâ. Itaut Pontifex sit quidem omnium primus, vt ab eo vnitas & ordo inferiorum & superiorum desumatur, nullam tamen sine Aristocratico consilio gubernandi potestatem habeat. Quod certè non solùm est iniuriosũ Ponfici, sed etiam prorsus hæreticum. De fide enim est statum Ecclesiæ esse Monarchicum, & Ecclesiam habere vnum supremum in terris visibilem Monarcham à quo gubernetur, vt contra nostræ ætatis nouatores luculenter demonstrant omnes melioris notæ Theologi. Atqui posito quòd ille Monarcha non possit absque optimatum consilio Ecclesiam regere, status Ecclesiæ non magis dicetur Monarchicus, quàm status Venetorum, qui solùm vt norunt omnes, est Aristocraticus; hoc autem de Ecclesiâ di-

cere temerarium eſt & hæreticum: cum Papa vt iam oſtendimus, per ſe Eccleſiam regat, leges condẽdo, eas iuridicè interpretando, conſilia generalia indicendo, excommunicationes latæ ſententiæ decernendo, & alia id genus quæ à Duce Venetorum abſque optimatibus pręſtari minimè poſſunt. Manifeſtum igitur eſt erráſſe Anonymum, vbi ſtatum à regimine diſtinxit, & vnũ Monarchicum eſſe voluit alterum Ariſtocraticũ: maxime cùm in eo à Pariſienſium Theologorũ ſentẽtiâ apertè recedat: Alliacenſis enim ita loquitur: *Dico quòd iura quæ loquuntur de plenitudine poteſtatis, intelliguntur de plenitudine iuriſdictionis, & non de plenitudine ordinis & quod hæc plenitudo iuriſdictionis reſidet in Romano Pontifice Petro ſuccedente*: Atqui plenitudo iuriſdictionis nihil aliud eſt quàm regimen; Igitur illud erit Monarchicũ

3. parte cap. I.

in vno ſcilicet Romano Pontifice. Almainus, *Chriſtus*, inquit, *fuit ſapientiſſimus, quia plenus ſapientiâ, & quod inſtituerit optimam politiam. Sed optima politia*, inquit, *regi debet regimine regali*, vt docet Ariſtoteles in politicis, hoc eſt, vt ſit vnus qui in vnumquemque authoritatẽ habeat, & nullus alius in eum. Itẽ ſub finem capitis, *Ideo*, inquit, *reſolutoriè dicendum eſt, quod quantùm ad iuriſdictionem quæ reſpicit forum exterius, non eſt in omnibus Sacerdotibus æqualis, ſed eſt vna ſuprema in ipſo Pontifice etiam ex inſtitutione Chriſti & non ſolùm humana.* Cùm ergo poteſtas ſuprema ſit in ipſo Papa ſuprema, ab eo non ſolùm ordo & vnitas, ſed etiam authoritas gubernandi deſumetur.

De poteſt. Eccle. cap. 4.

Tertium & quartum, inquit, *non ſunt vnius aſſis.*

Pag. 24. num. 14.

Hæ ſcilicet duæ propoſitiones:

prior, Ecclesia in Synodo congregata nullum planè ius habet decerdi secluso aut non consentiente Romano Pontifice. Verùm supra ostendimus Anonymum hac in re miserabiliter cęcutire: Nullus enim eorum qui stant à partibus Pontificum, vnquam ab Episcopis ius definiendi abstulit. Posterior, summus Pontifex omnes Canones vniuersalium Conciliorum ad Ecclesiasticam politiam spectãtes potest ex animi sui sententiâ antiquare, iusque omne relaxare & nouum condere. Verum nemo etiam hoc defendit. Primùm enim duo sunt genera Canonum, alij ad fidem, alij ad mores referuntur: priores nullo modo potest antiquare, imo iis non minùs quàm alij fideles adstringitur: & sic intelligitur illud
25. qu. 1. Can. contra. Zosimi, *contra statuta patrum condere aliquid vel mutare, nec huius*

quidem potest sedis antboritas: apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reuerētiam. Illudque Gregorij cum quatuor Concilia, tanquam quatuor Euangelia veneratur: *Quia,* inquit, *dum sunt vniuersali constituta consensu, se & nō illa destruit, quisquis præsumit absoluere, quos ligant, aut ligare quos soluunt.* Agunt enim Zozimus & D. Gregorius de conclusionibus & decretis fidei. posteriores verò qui ad mores spectant, iam satis ostēdimus eos posse à Pōtifice pro plenitudine suæ potestatis antiquari, non quidem ex animi sui sententiâ & ad arbitrium, vt calumniatur Anonymus, sed cum iustâ & rationabili caussâ.

Dist. 15. Can. sicut.

Procul dubio si verum amamus, omnibus hominibus est inditum, vt liberi & beati esse velint. Quis autē beatus est absque libertate? At si infallibilitas decernendi, in vno & solo habitat

Pag. 24. n. 14.

Pontifice, nullus in Ecclesiæ conuentibus libertatem ferendæ sententiæ obtinet.

Nemo igitur beatus erit nisi libertate ferendæ sententiæ in Con-
12. qu. 2. cilio gaudeat. ô te non tam censurá quam risu & sibilo dignum! vel enim de beatitudine patriæ agis, Doctor Anonyme, hæc autem si quid bene ex Theologia didicisti, in actione liberá non consistit. Vel de beatitudine vię, at quis hanc adhuc beatitudinem in libertate ferendæ in Conciliis sententiæ cõstituat? Vniuersa plebs Christiana, Sacerdotes, & tu ipse, magnus licet magister audias, nunquã in hac vitá beati essetis. Cum ne-quidẽ ad ferendam absolutè sentẽtiam, quantominùs ad liberè ferẽdam nõ admittamini. Sed hoc vt ridiculum mittamus. Certum enim est quicquid in cõtrarium iactes & effutias,

Prælatos in Concilijs libertate ferendæ ſententiæ gaudere, imo-uerò in Concilio Lateranenſi vnicus Epiſcopus reſtitit alijs omnib⁹ qui poteſtatē Pōtificis decreto ſpeciali cōfirmabant: itaut nunquam illud voluerit admittere: neque tamen propterea aut accuſatus fuit, aut reprehenſus. Hoc ſatis vt arbitror agnoſcit Anonymus: ſed cum Antibellarmino hæretico illud ideo voluit obtrudere, vt Pontifices Romanos in tyrannos degenerâſſe perſuaderet.

Schola Pariſienſis quæ decretis Conſtantienſis Synodi nititur, docet Papam eo tantùm in caſu iudicari poſſe à Concilio, quo Eccleſiam notoriè ſcandalizat, eſtque incorrigibilis. Pag. 26. num. 16.

Non eſt ſingularis Scholæ Pariſienſis opinio, Papam in caſu quo pertinaciter, & publicè hæreſi adhæreret, iudicari poſſe à Concilio

Dist. 40. Can. si Papa.

generali: hoc enim omnes quot-
quot sunt Doctores asserunt: Tunc
enim non est amplius Ecclesiæ mē-
brum, quia nec interiùs per fidem
internam, nec exteriùs per confes-
sionem exteriorem fidei, Ecclesia
adhæret: Atqui membrum est de
ratione capitis, igitur non est am-
plius caput, ac proinde vel est de-
positus, vel deponendus à Conci-
lio. Verùm in hoc non conquies-
cit Anonymus, sed vlteriùs progre-
ditur; nempè propter quodlibet
crimen scandalosum in quo essè
incorrigibilis Papa, eū deponi pos-
se, & debere: & quidem hæc est
quorumdam Parisiensium opinio
vt Gersonis & Almaini & quorum-
dam aliorum: malè tamen Anony-
mus propter duos aut tres Docto-
res, dicit esse totius Scholæ Pari-
siensis: cùm nullum huius con-
clusionis decretum extet: dicam

De auctoritate Ecclesiæ cap. 32.

ergo

ergo liberè & ingenuè ſententiam illam mihi Doctori Pariſienſi, minimè probari: Primùm enim conſtat Pontificem iure Eccleſiaſtico deponi non poſſe, cùm ſit ſupra illud, vt Rex ſupra ius ciuile: Tantùm ergo diuino iure deponi poteſt: Atqui iure diuino nullũ aliud crimen ab hæreſi inducit depoſitionem: tum quia ſcriptum legitur. *Hæreticum hominem poſt vnam vel alteram correptionem deuita, deprauatus eſt enim in ſuo ſenſu*: tum etiam quia quamdiu bene docent Prælati, tamdiu ſunt audiendi & retinendi iuxta illud Matthei 13. *ſuper cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, quęcumque dixerint ſeruate, & facite, opera vero eorum nolite facere*, ex quo liquidò conſtat, cùm propter quæcumque alia crimina, ſi hæreſim excipias, Pontifex bene & legitimè docere non

Ad Tit. 3.

Matth. 13.

K

desinat, eum propter illa non esse deponendum, sed tantùm propter hæresim. Quamobrem dicendum est bonos mores in Pontifice, scientiam, charitatem, experientiam regiminis esse tantùm dispositiones ad meliùs esse, vt loquuntur Scholastici; fidem verò, seu esse Christianum, ad necessè, seu ad simpliciter esse. Neque vrgeat Anonymus, Epistolam Clementis ad Iacobum, in quâ testatur Clemens Petrum hæc verba dixisse cum ipsum institueret: *Neque enim iudicem aut cognitorem secularium causarum hodiè te cõstitui voluit Christus, ne præfocatus præsentibus hominum curis, non poßis verbo Dei vacare, & secundum veritatis regulam secernere bonos à malis*: & infrà. *Si enim mundialibus curis fueris occupatus, teipsum decipies, & eos qui te audiunt. Non enim poteris quæ ad*

Almainus cap. 12.

ſalutem pertinent, pleniùs ſingulis quibuſque diſtinguere, & ex eo fiet, vt & tu, tanquam non docueris quę ad ſalutem pertinent, deponaris; & diſcipuli tui per ignorantiam pereant. Verùm primò ſole clarius eſt epiſtolam illam eſſe confictam, cùm ſex annis ante D. Petrum, & inſtitutionem hanc Clementis, D. Iacobus martyrio deceſſerit. Secundò, Ecclesia tunc non adeò ampla, & dilatata erat, vt curis mũdialibus tantopere diſtraherentur illius Pręlati, præſertim cùm ex Tertulliano, maior pars Chriſtianorum tunc eſſent pauperes, & ſimplices, vigeretque adhuc illud Apoſtoli: *Regnum Dei non multi potentes, nõ multi nobiles, ſed infirma elegit Deus.* Denique ex contextu epiſtolæ ſequeretur ſummum Pontificem propter negligentiam eſſe ab Eccleſiâ deponendum, quod nemo ne quidẽ

Baronius ad annum 63.

Ad Cor. 1.

Anonymus ipſe dixerit. Clarum eſt igitur falsò & iniuriosè de ſupremo Pontificatu locutum eſſe Anonymum, cùm in vniuerſum pro crimine ſcandaloſo in quo eſſet Pontifex incorrigibilis, ipſum è dignitatis ſede deturbari ac deponi poſſe affirmauit. Pontifex enim propter ſolam hæreſim deponi poteſt.

Gerſon aliįque Doctores Pariſienſes vno verbo reſpondent nemini in ſuâ causâ credendum, niſi conformiter Pag. 27. num. 16. *ad legem diuinam & naturalem loquatur.*

Gerſonio & Almaino nolim quicquam detrahere, nunquam tamen illorum hâc in re ſententia mihi probabitur. Certum enim eſt licere Papę & aliis Principibus, iuxta meliorem & receptiorem Doctorum ſententiam, in ſuâ propriâ cauſâ, ſiue patrimonij, ſiue delicti

ius dicere: Capitulo, *Cùm venissent, de iudicijs. Cum super priuilegijs sedis Apostolicæ causa vertitur, nolumus de ipsis per alios iudicare.* Quantò verò magis licebit istud in causis suarum dignitatum; in quâ etiam inferior, nisi aliàs recusetur, Iudex est competens : vnde si inferioribus Prælatis regulariter testificari sit licitum in causis suarum Ecclesiarũ, capitulo, *insuper de testibus*: quantò magis supremo Ecclesiæ Pontifici ius suum dicere licebit, eique, quãuis in propriâ causâ, à subditis præbendus erit assensus. Vnde cum Apostolus pro Apostolatu suo testimonium tulerit, neq; indecorum putauerit, suum in cœlum raptum publicare, sanctissimi Pontifices martyrio, aut sanctitate clari, pro suá Apostolicá sede & Primatu iustè & legitimè poterunt decernere. Neque hîc importunè ogganniat

Anonymus, me à Doctorum Parisiensium castris & sententiâ discedere, nam quòd non sit Pontifici in suá causá credendum, nullibi à Parisiensi Facultate definitum inuenio.

Certè, si hæc sententia inualescat, sequetur Christum extrema quæque passum, vt Ecclesiam sponsam, id est, vniuersos Christianos despotico Romani Pontificis imperio subderet.

Pag. 24. num 14.

Christus extrema passus est, non vt Aristocratico Prelatorum imperio Christianos omnes subderet, sed potiùs vt Ecclesiam sibi gloriosam, non habentem maculam, neque rugam exhiberet, vt nos à seruitute Dæmonis eriperet, & transferret in regnum dilectionis suæ; verum si hæc Anonymi inualescat consequentia, Regi nostro grauis & non ferenda infertur iniuria: etsi enim illius regnum atque domi-

nium omninò ſit independens, & abſolutum, nulloque modo precarium, neq; aliter quàm per Dei gratiam, mediãte paternâ ſucceſſione, quæſitum: non tamen Rex nobis deſpoticè & heriliter dominatur. Neque enim Gallia ſerua eſt, ſed tantùm ſuo Regi ſubdita: Sic ſanè, licet dominium Pontificum eſſet abſolutum, neque dependens ab Eccleſiá, ſed tantum à Chriſto, vt alij Theologi, præter Pariſienſes perhibent, non propterea Pontifex omnes Chriſtianos deſpoticè regeret. Nihil de propoſitione dico, ſed ineptam & periculoſam Anonymi conſequentiam tantùm redarguo.

Sextò, dicere inferiorum Prælatorum & Paræcorum poteſtatem iuriſdictionis eſſe immediatè à Chriſto, Euangelicæ & Apoſtolicæ conſonat veritati.

Articulus eſt ſextus cenſuræ Pariſienſis contra quendam Theologũ nomine *Sarraſin*, Ann. 1429. de quá, etſi nolim diſputare aut digladiari, cùm à decretis Facultatis Pariſienſis, quandiu à ſummo Pontifice aut Concilio, generali reprobata non fuerint, animus non ſit recedere; dicam tamen contra Anonymum, alterum è duobus neceſſario ſequi; vel huic articulo apertè illum contradicere, quando Pontificem, qui certè eſt de numero Prælatorum, poteſtatem ab Eccleſiá & per Eccleſiam toto ſuo libello habere docet: vel certè ſupremi Pontificis conditionem Prælatorum inferiorum, nec non Parœcorum conditione eſſe ignobiliorem: hi enim ex ſententiâ Anonymi iuriſdictionem à Chriſto habent immediatè: Summus verò Pontifex à ſolâ Eccleſiâ & per Eccleſiam.

ENIMVERO cùm Anonymus tam initio quàm in fine libelli sui nomen Facultatis Theologiæ Parisiensis siue Sorbonæ impudenter & falsò ad suorum dogmatum confirmationem vsurpet; lubet hoc loco clarissimorum Doctorum sententias apponere, qui etsi pro maiori parte à partibus Conciliorum generaliũ supra Pontificem steterint, eius tamen authoritatem, nunquam tam indignè ac Anonymus depresserũt, nec in eũ ordinem quem libello suo explicat, coëgerũt.

Primùm ergo ordiemur à cõdemnatione errorum Malesoni Theologi Parisiensis, in quâ habetur hæc conclusio, *Ad sanctam sedem Apostolicam pertinet authoritate iudiciali supremâ circa ea quæ sunt fidei iudicialiter definire, vtpote cuius fides nunquam deficit.* Huic autem apertè repugnat Anonymus, qui suo toto libello definitiones supremas in fide à Conciliis generalibus, siue Pontifex adsit, siue non pendere affirmat. Libro sententiarum ad calcem.

PETRVS DE ALLIACO ex magno collegij Nauarræ Magistro, Cardinalis & Archiepis. Cameracensis.

Ideo Dominus hoc præuidens (nempè scisma & dissensionem) *contulit Petro pro se*

De origine Ecclesiasticæ potestatis. Concl. 2.

& successoribus suis authoritatem disponendi Ministros Ecclesiæ, & determinandi eorum iurisdictionem dicens; Pasce oues meas, id est, sis Pastor & Prælatus generalis, ad quem pertinet dispositio & regimen regale ouium & ouilis, & sic quamuis omnes Apostoli initio eandem habuissent à Christo potestatem, & æqualem clauium & iurisdictionis: non tamen iurisdictionem siue materiam subiectam secundum aliquos, nisi Petrus & cui committere voluit.

Contra Anonymum, qui non vult in Petro priùs, quàm in Ecclesiâ aut Apostolis fuisse iurisdictionem.

De iure vacantiarum.

Vnde vlterius sequitur quod Papa iure potuit ordinationes maiorum & electiuarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum sibi & sedi Apostolicæ reseruare, quia hæc antiquißimo iure sibi competebant. Ne ergo Anonymus insurgat aduersus Episcopatuum collationes, quas sibi in Gallia Pontifex ad nominationem Regis Christianissimi retinuit.

Ex quo sub-infertur quod cum sedes Apostolica in præmißis præscripserit, supposito quòd summi Pontifices abusi fuerint, vel excesserint, non propter hoc est ab eis ius illud tollendum. Contraria habet Anonymus, vbi ait ius electionum nunquam posse præscriptione aboleri.

IOANNES GERSON, DOCTOR & Cancellarius Pariſienſis.

Verumtamen hoc non impedit quominus Petro & ſucceſſoribus eius immediatè: Ergo non ab Eccleſia, & per Eccleſiam, vt contendit Anonymus.

Plenitudo legis Eccleſiaſticæ ſic propriè ſumptæ non poteſt eſſe de lege ordinaria, niſi in Vnico ſummo Pōtifice formaliter, & ſubiectiuè: alioquin Eccleſiaſticum regimen non eſſet Monarchicum, & habere poſſet multiplex caput ex æquo, quod apertè eſt hæreticum, quod tamen toto ſuo libello contendit Anonymus.

Sub finem libri de Eccleſiaſticâ poteſtate apertè declarat, ſe non aſſertiuè de poteſtate ſummi Pontificis eſſe loquutum, ſed ſolùm opinatiuè. *finit*, inquit, *tractatulus magis ad inquiſitionem veritatis quàm ad determinationem editus, &c. pro parte Cancellarij Pariſienſis..* Cur ergo Anonynymus ea dogmata Gerſonis pertinaciter tuetur, quaſi ipſe determinatè, vt aiunt, loquutus eſſet.

IACOBVS ALMAINVS DOCTOR Pariſienſis patriâ Senonenſis.

Vni Petro & ſucceſſoribus eius data eſt pote-

ſtas conſtituendi Canones, & dignitates Eccleſiaſticas per vniuerſum orbem, ſicut dignitates & curas. Audi Anonyme cōſtituēdi canones, & præterea conferendi Epiſcopatus.

Matthei 18. amen, amen dico vobis quæcumque ligaueritis, nulli, inquit, ſuppoſito tunc dedit poteſtatem iuriſdictionis, ſed ſolùm quando, Ioannis cap. vltimo poſt reſurrectionem dixit Petro, paſce oues meas, etiamſi eſſent aliqui Sacerdotes, ſcilicet in cæná conſecrati.

De poteſtate Eccleſiaſt. cap. 3. *Papa non eſt de iure, ſed ſupra ius Canonicum,* quâ ergo fronte Anonymus, ei vult Pontificem ſubijcere?

Eſt quædam obligatio, quâ obligatur homo abſque conſenſu imò eo inuito. Item, non poteſt quis obligari niſi per conſenſum vel ex præcepto, & voluntate ſuperiorum, quia non eſt niſi hic duplex modus obligandi. Anonymus omnes Principatus quoad vim coactiuam ab hominum conſenſu pendere cenſet.

Cap. 12. de poteſt Eccleſiaſt. concluſ. 3. *Summus Pontifex in foro exteriori poteſt aliquid præcipere, cuius transgreßio erit peccatum mortale, quæ non eſſet excluſo tali præcepto.* Anonymus putat Pontificem non habere poteſtatem inſtituendi leges, ſeu canones.

IOANNES MAIOR DOCTOR Parisiensis.

Dico quod ad Pontificem spectat conuocare Concilium, & ita facit communiter, & sic aliquomodo dat robur Concilijs, quia est caussa congregandi Concilij & paulopost. *Pōtificis authoritas communiter est excepta in Concilijs, quia multæ leges Conciliorum sunt humanæ, & interdum patiuntur exceptionem, & 'ἐπιείκειαν, & Concilium non potest semper congregari.* Videat Anonymus quo pacto hæc cum propositionibus quibusdam libelli sui consentiant.

IOANNES DE CELLAIA Doctor Parisiensis.

Dominus Papa regit vniuersalem Ecclesiam & meritò potest vocari Rex, quod probat ex eo quod in Ecclesiâ de beato Petro canitur. *Simon Petre antequam vocarem te, noui te, & super plebem meam te constitui*: Ergo contra Anonymum regimen Ecclesiæ est regale & Monarchicum.

Item, *Romanus Pontifex solùm in casu hæreseos deponi potest, & non in quocumque alio crimine Ecclesiam scandalizante.* In 4 dist. 24. qu. 4. & 7.

Item, *Papa habet potestatem suam non ab Angelis, non ab Apostolis, non ab Ecclesiâ.* Asserit Anonymus potestatem Papæ esse ab Ecclesiâ & per Ecclesiam.

ROBERTVS CÆNALIS Doctor Parisiensis & Episcopus Abrincensis.

Lib. 2. de oblata ab hęreticis conditio. pag. 42.

Pontificis Monarchia ad hoc vt doctrinæ consensus retineatur, non solùm vtilis, sed etiam necessaria: imò & à Christo instituta & ab omnibus omniũ ætatum Doctoribus asserta est.

GILBERTVS GENEBRARDVS, Doctor Parisiensis, Professor Regius, & Archiepiscopus Aquensis.

Nos multomagis summum Pontificem Christi vicarium appellabimus, eiusque successionem recensebimus ad seculorum extremum duraturam, & vnam ex certis Ecclesiæ dotibus, quæ nos in Catholicæ gremio iustissimo teneat. Anonymus contra videtur Papam Ecclesiæ Vicarium statuere.

Lib. 3. pag 401.

Ecclesia supra Petrum fundata est, vnus Episcopus in Catholicâ Ecclesiâ à quo cæteri pendere debeant, & Romana Ecclesia ab omnibus

alijs Ecclesiis pro matrice & radice Catholicæ Ecclesiæ est agnoscenda.

Hęc sunt quæ cōtrà te quisquis es Anonyme (qui scilicet nuperrimè libellum de Ecclesiasticâ & politica potestate edidisti) falsissima dogmata, & Ecclesiæ Christianæ perniciosissima, dicenda esse duxi. In quibus si quid durius & asperiùs dictum putes, memineris quæso *meliora esse vulnera diligentis, quàm oscula blandientis.* Ego quidquid hoc examine scripsi, pro veritatis caussa scripsi, christiana Charitate incitatus. Hæc sane est (vt piè ac deuotè pro suo more loquitur D. Bernardus epistola ad Fulconem Archidiaconum lingonēsem popularem tuū) *quæ ad te obiurgandum me compulit, quæ tibi condolet, tibi compatitur; Nec frustra forsan tibi compatitur; dummodo patienter audias vnde compatiatur. A te se queritur offensam, expostulat læsam, læsa tamen non prouocat, sed spreta te reuocat, licet læsa, licet offensa, si conuersus fueris ad illam obuiabit tibi quasi mater honorificata, & oblita sui ruet in amplexū tui.* Sed in quo, inquis, læsi, in quo offendi? in eo, inquam, quòd spiritalem summi Pontificis authoritatē libello tuo non imminueris tantùm, sed quasi funditus sustuleris, quòd in Ecclesiam anar-

Prouerb. 27.


chiam induxeris, quòd Gallicanos antiſtites læſeris quod denique ſociorum tuorum ac Sorbonicæ domus pacem, & otium perturbaueris.

Hæc Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & RomanæNecnon ſanctæ ſedis Apoſtolicæ iudicio ſummiſſa ſunto.

FINIS.









LIRE
DE
ECCL